QUAESTIONES
DE
HOMERICO HYMNO IN CEREREM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONCESSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XVII MENSIS MAII A. MDCCCLXXII
HORA XI
IN AUDITORIO MAXIMO
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
GUILELMUS OSCAR GUTSCHE
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT
M. KLEEMNAN, DR. PH.
G. VIELUF, CAND. PH.

HALIS SAXONUM.
FORMIS HENDELIIS.

Homeri maiores qui vocantur hymni ut eiusdem paene generis omnes (praeter h. VIII) sunt et ad Homeri exemplar conformati quadam propinquitate iunguntur, ita multum ab Orphicis hymnis absunt et a secretis illorum rationibus vehementer recedunt. Eorundem tamen tanta est diversitas, ut omnes docti viri consentiant, singulos hymnos sui quasi iuris esse neque eidem haec carmina poetae aut aetati posse adscribi. Iam sermonis et verborum usus quantae sint differentiae doctis quaestionibus nuper Fietkavius, Windischius, Koehnius, alii explicare coeperunt, eorumque disputationibus effectum est, ut hymnorum inter se et ab Homeri carminibus discrepantem artem grammaticam, metricam, proprietatem dicendi melius perspiciamus. Illorum ad commentationes reiicimus, si qui singulas differentias cognoscere velint, generales autem, quae intercedunt, paucis exponere iuvat. Bina carmina (si hymnos in Apollinem unum ducimus) tam artem quam consilium diversum sequuntur. Mercurii prope abest a Veneris carmine pariter atque Apollinis a Cereris laudibus; illi sunt lepidi, festivi, hilares et ad delicias describendas propensi, hi severe celebrant deum non sine tacita verecundia locosque priscis caerimoniis sacros, fata narrant, collata praesertim in proavos beneficia laudant. Hymnus autem in Cererem eo etiam ab Apollinis differt carmine, quod magis exornatus rebus salutariter inventis civitatem Eleusinis praedicat et aperte sacerdotum auctoritate compositus Atticam originem certis indiciis prodit. Itaque hunc a ceteris hymnis seiunctum tractamus nulli alii carmini ita cognatum, ut inde possit iudicium de hymni rationibus et consilio fieri. Quam ob rem nullam iam certam habemus normam, ad quam exigamus hymnum mysteriis commendandis factum, nisi forte proficiscimur ab Homeri carminibus, nam

ab horum arte quum omnis reliquorum epicorum facultas tum hymni in C. poeta pendet.

Inde a Pausania amplius sedecim saeculis nullum extat de hymno in Cererem testimonium, neque multi videntur fuisse, quibus legendi cupido fuerit, nam hymnus uno tantum servatus est saeculi XIV codice, qui Moscoviae longissimum tempus iacuit nemini notus. Multis corruptelis inquinatus est praesertim vv. 378—411, 462—481 qui leguntur in folio admodum laeso. Graeculus quidam, tenuis ingenii vir, et hos et alios versus sanare atque restituere conatus est, nullo codice adiutus, nam alia inscite resarsit, alia ne tentavit quidem reficere. Itaque codicis praestantiam quam multi laudibus efferebant, nullam esse ait Cobetus:*) „recens est admodum ac totus scatet oscitabundi scribae et ineptissimi correctoris stolidis erroribus et male sanis interpolationibus, quibus neque plures neque turpiores in ullo alio Graeco codice memini videre.“ Ac fortasse hymnus literis olim non integer incolumisque mandatus est, nam multa, quae moleste tantum feruntur, videntur inde orta esse, quod poeta praepropere manum de carmine sustulit. Narrationis enim decursus nonnunquam interrumpitur, res quaedam repugnantes traduntur, ut nonnullae existant rerum discrepantiae, quas docti viri nullo modo potuerunt componere. Hymnum igitur temporum iniquitatibus et Graeculi commentis mirum in modum corruptum iam par est largam praebere disputandi materiam. Sequitur ut de hymni origine et fatis, arte et consilio quaeramus.

Nullus quum adhuc populus inventus sit, quin sacra habeat et deorum cultum, non miramur Graecos priscis temporibus, quae solas fabulas in rebus divinis tenerent, deos coluisse saltationibus, pompis, carminibus. His institutis antiquissimi poetae suam artem commendabant, iique de propositis praemiis certabant, Paus. X, 7 *ἀρχαιότατον δὲ ἀγώνισμα γενέσθαι μνημονεύουσι καὶ ἐφ᾽ ᾧ πρῶτον ἆθλα ἔθεσαν, ᾆσαι ὕμνον ἐς τὸν θεόν.* Iam hymni vox ab Homero de carminibus epicis usurpata ϑ 429 (cf. Hes. Opp. 662); postea propria fuit cantibus solemnibus, qui deorum sacra celebrantes a stante choro ad citharae sonum declamabantur: cf. Plat. legg. III, 700, Menand. de enc. 1,

*) Mnemosyne t. X. p. 309 sq.

Etym. Gud. p. 540. 42, Procl. in Phot. bibl. p. 985 edit. Hoesch. Tales autem hymni, qui sacris et ritibus magis quam artis praeceptis regerentur, non amplius extant; nam Orphici hymni, qui τελεταί potius sunt quam ὕμνοι multum discrepant, siquidem exili sermone enumerant deorum cognomina eorumque munera plerumque insolita ex cosmogoniis translata, deos autem mystica quadam contemplatione infinitos reddunt et exsangues. Istos igitur hymnos, quos Paus. IX, 30 religionis causa Homericis anteponit, missos facimus ab epicis Homeri hymnis abhorrentes; neque Callimachi habemus rationem, qui doctrina magis et labore operoso quam arte epica valet, neque Cleanthis Stoici, cuius εἰς Δία hymnus Deum O. M. invocat more philosophorum. Homeri igitur hymni soli nobis epicam rationem repraesentant; quibus in diiudicandis, quum nullum extet de poeta testimonium, res ad coniecturas redit, cuiusmodi multas et diversas protulerunt docti viri. Imprimis ad expediendas differentias et detegendas interpolationes propria quisque eorum, qui editioni hymnorum operam dederunt, de hymni in Cererem origine et fatis doctrina usus est. Exordium vero editionum huius hymni fecit Ruhnkenius, qui carmen statim Homero, quem vocant, καὶ τῆς φύσεως καὶ τῆς δυνάμεως ἕνεκα (cf. Fabric. Bibl. gr. I, 342) subduxit, consentiente videlicet Fr. Aug. Wolfio, qui in pertractanda inclita de Homeri carminibus quaestione a limine tantum, ut ita dicam, hymnos salutans hanc hymnorum farraginem censuit ex prooemiis eorumque fragmentis conflatam esse. Quam opinionem in diiudicandis maioribus hymnis non recte se habere infra exponam; libens autem multo probabiliorem Groddeckii accipio sententiam de hymnorum e pluribus anthologiis facta collectione. Proximus qui adstat hymnorum existimator Ignarra singularem voluit hymni poetam, quamquam ceterum quidem non recte sensit: hymnum, quem lucubrationem Moscoviticam vocat, Pausania recentiorem fuisse et a docto quodam grammatico consutum antiquiorum poetarum versibus, ut fucum legentibus faceret, undecunque intextis. Quod recte refutavit Ilgenius, qui hymnum Pausania vetustiorem atque rhapsodorum more integros versus locosque ab Homeri imitatore translatos esse censuit, omnibus sane consentientibus, qui postea hymnos tractaverunt.

Ilgenium qui excepit Matthias multas res hoc quoque in

hymno minus feliciter egit, praesertim quum sensu quodam pulchritudinis legibusque poetices sibi constitutis eo adduceretur, ut hymni pristinam formam non amplius versus priores trecentos affirmaret complexum esse. Quam ad sententiam probandam nollem usus esset hoc argumento: hymni posteriorem partem non satis cum Pausaniae locis congruere; nam ipsa res docet*) in priore parte non minores intercedere differentias. Carminis autem decursus si post versum trecentesimum finiretur, iam nullum eius esset idoneum argumentum; finis in eo esset, ut Eleusine Cereris templum exstrueretur. At Ceres usque ad v. 300 non reconciliatur cum diis, nec Proserpina ab inferis ad lucem redit, aut sacrorum origines et institutio commemorantur: graves sane res, quae optime priore hymni parte paratae alteraque in parte continuatae arctissime cohaerent; quarum utramvis partem si demas, curtum et detruncatum habebimus carmen, neque artis legibus perfectum neque ad narrationis conditiones accommodatum. Nam una tantum est carminis fabula, cuius nulla pars potest omitti: 1) Proserpinae raptus, Ceres filiam indagans v. 1—95; 2) Ceres diis irata Eleusine vivit tectis ac sedibus a Metanira recepta v. 95—302; 3) Iupiter ceterique dii enituntur, ut Ceres in deorum consessum et Proserpina ad visendam matrem redeat v. 302—433; 4) Cereris placatio, institutio sacrorum 433—495. Doctorum igitur virorum nemo fere secutus est Matthiam quamvis explicantem sententiam in edit. praef. p. 82: alteram hymni partem ex fragmentis Homerici carminis, quod Pausanias viderit, consarcinatam esse, allitis hic illic, ubi illa deficerent, ipsius consarcinatoris versibus, nonnumquam etiam aliorum poetarum locis intertextis. Quae ego qui a Matthiae sententia abhorream**) leviter attigisse satis habeo; quamquam nuper Windischius sententiam professus est similem, hoc carmen item ut omnes maiores hymnos sine iudicio compilatos esse. Iam ad Hermannum me converto. Is cum de maioribus Homeri hymnis nullum esse, quem alii poetae non interpolaverint contenderit, hoc in hymno duas ad minimum recensiones esse confusas dicit, quarum etsi utriusque vestigia habeat codex Mosc. maxime tamen eum ut

*) cf. p. 29 sqq.

**) cf. p. 7 sqq.

in reliquis hymnis recentiorem sequi. Librarios autem, qui diversas hymnorum recensiones ante oculos habuerint, quum eas multis locis congruere inter se animadverterint, has recensiones ut labori parcerent, in unum corpus coniunxisse, semel scribentes, quae diversarum recensionum communia esse viderint. Quae sententia, quamvis subtiliter et eleganter exposita, habet tamen nonnulla, quae minus videantur probabilia. Nescio enim unde Hermannus compererit librarios segnes, ut vult, fuisse; ex ipsius enim verbis ingeniosi et sollertes appellari possunt, quod rebus, quas diversae recensiones communes haberent, quaesitis, leves discrepantias neglexerint graves tamen magna cum arte recensioni nescio cui intexuerint, ut hodie plurimis doctis viris hymnus videatur unum esse carmen, cuius partes, quamvis nonnumquam truncae, arcte cohaereant. Huiusmodi carmen e diversis recensionibus conglutinantes librarios non modo labori non pepercisse sed eum etiam auxisse in aperto est. Quapropter tale quid eos fecisse credas? Quid? Nonne scimus antiquis iam temporibus — nempe Pausaniae aetate — diu separatim traditos esse Eleusine celeberrimos hymnos simillimi argumenti?

Accedit quod labori parcere eos voluisse non adduci possum ut credam, ideo quod in Cererem hymnus non latius fuisse pervulgatus videtur, nimirum loci certi inserviebat usui, neque ullum extat testimonium quod eum multis in urbibus aut saepius in frequentibus contionibus esse recitatum, memoriae prodat. Uni quod erat destinatus genti et loco, librarii omni potuerunt labore carere, nam nulla causa erat, cur gentis proprium carmen novis augerent incrementis. Nulla quoque erat intexendi causa, etiamsi putes hymnos scriptos esse ab iis, qui aut delectare legentium animos aut ingenium exercere voluerint. Librariorum igitur negligentiae vel commoditati iam perspicias non posse cum Hermanno tribui carmen iudicio et studio ad artis leges compositum. Neque vero, qui secutus est, Vossius Hermanni sententiam comprobavit; hymnum enim uni tribuere maluit attico — Olympiadis tricesimae — poetae, qui nova secreta tamquam divinitus tradita contestari voluisset. Hanc Vossii de poetae aetate opinionem etsi plane reiicio, libenter tamen cum Baumeistero probo de attico poeta sententiam, quamquam non ignoro hymni diutissime in Attica traditi et pervulgati speciei genuinae ex loci usu adspergi potuisse eas

formas, quae Atticae linguae propriae in carmine inveniuntur. Nunc vero mihi ad Vossium subsequentes editores oculos convertenti declinandum paulum est a recta via, quod F. Frankius sententias iam Wolfii clarissima disputatione redargutas denuo repetiit: „Etenim, quod de Homericis carminibus statuo, unius ea auctoris esse, interpolata illa quidem multis in locis et corrupta, sed non ita exorta, ut ex variis diversorum poetarum carminibus in unum opus coniunctis constent, idem fere de singulis hymnis statuo. Quos quidem non negaverim recentiorum sive poetarum sive grammaticorum additamentis depravatos esse, modo id paucis in locis factum esse concedatur." His igitur verbis repulit Frankius Hermanni de diversis recensionibus sententiam, cui aliis quoque argumentis obloquitur; opinionem vero eius de raris corruptelis, quum tota commentatione ei repugnantes defenderim sententias, nunc fusius refellere nolo. — Multos deinde annos post Frankium iacuerunt hymni inexpertes curarum doctorum virorum, qui aliis de rebus disserentes in transitu tantum de hymno in Cererem iudicaverunt, velut Prellerus in libro Demeter et Persephone inscripto p. 76 contendit: duarum Pamphi hymni recensionum alteram in hymnorum corpus atticum, alteram in Homeri hymnos receptam, hoc autem in hymno totos locos interpositos esse. Quam coniecturam ipse non magni aestimasse videtur, quod de scriptore et origine carminis posse probabile quidquam statui ipse plane negat; hoc solum omnibus assentientibus pro certo habet, carminis genuinam formam recitando paulatim immutatam esse. Poetae aetatis, quam Prellerus reliquit descriptionem, Welckerus (Ep. Götterl. II. p. 546), prope accedens ad Vossii sententiam, tricesimam Olympiadem novissimum esse terminum voluit, recte monens: hymnum non esse confectum ingravescente iam Orphicorum auctoritate, quae iam ante Solonem valuerit, ut Orphei doctrinae immiscerentur Eleusiniis sacris. Quibuscum hymnum non coniunctum fuisse Creuzerum secutus O. Müllerus affirmavit; in historiae litt. graec. p. 126 atque in Halensis Encyclopaediae capite „Eleusinia" inscripto hymnum contendit ab Homeri imitatore, Eleusiniis sacris initiato, compositum esse ad rhapsodorum in Eleusiniis certamina subeunda. Hanc Mülleri sententiam quam hoc in hymno diiudicando me non ratam habere infra exponam, probavit Bernhardyus in

celeberrima illa Graec. litt. hist. I. p. 295 ed. III, excepto hoc in Cererem hymno (t. II[a] p. 225), quem unum nobis relictum ostendit atticae sacrae poeseos monumentum primumque praeterea carmen, quod de immortalitate mortuorumque diversis fatis quamvis perpauca edoceat.

His tandem annis Baumeisterus, codicum facta collatione locupleti hymnos instruxit apparatu, cuius in praefatione novam profert eamque admodum probabilem coniecturam: hymnos non collectos esse complurium doctorum virorum studio id agentium, ut carmina suavissima in pristinum nitorem restituerent ac perpolirent, sed, postquam varios tulerint casus volitando per ora rhapsodorum, ea memoriter in chartam coniecta esse tumultuaria unius hominis opera; poetam autem rem sic tractasse dicit, ut imprimis exornaret, quae ad laudem Eleusiniorum pertinerent.

Quae eleganter disputata multo magis mihi placere confiteor quam Bücheleri novissimi hymni editoris decreta; uni enim poemati maiori minora ait esse inserta et coniuncta, neque umquam futurum esse, ut eorum priscam formam recuperemus. Quodsi novam profitetur doctrinam, qua carmina maiora in singulos cantus discerpuntur, videtur monendus esse: aliis quoque in carminibus multa esse, quae possint obiici eiusmodi explicationi, quam vocant „liedertheorie": facile quisquis videt hoc in hymno talem opinionem minus ad persuadendum valere, quod omissa quaestio est: quid sibi velit maius carmen, quae sint minora secernenda exigui sane ambitus atque similis fere argumenti, quorum consilium ne coniectura quidem assequi possum. Necesse saltem fuit, ut doctus vir dilucide verba faceret de ambitu et indole maioris carminis atque eorum, quae inserta esse opinetur.

Quibus doctorum virorum sententiis explicatis metus in arenam descendentis animum occupat, probabilemne coniecturam in tam ambiguis rebus atque in tanta opinionum multitudine discrepantiaque prolaturus sim. Sed quoniam operis instituti ratio a me exigit ne dissimulem, quae de hymnorum fatis sentiam, libere iam quae verisimilia putem profiteor.

Ac primum quidem in ipsis hymnis subsistens illud observatione dignum invenio, quod nova in posterum promittuntur carmina; hinc colligo hymnos esse compositos a viris, qui

multi fuerint in hoc genere poesis excolendo; duodecies enim formula subiungitur: αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς. Fieri tamen potuit ut clausulae, quum non arte et firmiter cum singulis hymnis cohaereant, a grammaticis hic illic temere subscriberentur duplici formula: Αὐτὰρ ἐγὼ κτλ. aut σεῦ δ'ἐγὼ ἀρξάμενος μεταβήσομαι ἄλλον ἐς ὕμνον (vel ἐκ σέο δ'ἀρξάμενος κλήσω μερόπων γένος ἀνδρῶν). Quorum alter versus σεῦ δ'ἐγὼ κτλ. hymnum ostendit prolusionem haberi maioris cuiusdam carminis, quo solemnitatem chorus circa aram consistens aut tripudians, dei invocatione praemissa, auspicaretur. Hanc formulam σεῦ κτλ. recte contendere mihi videor legitimam esse conclusionem hymnorum exigui ambitus, qui paucis versibus circumscripti nihil esse potuerint nisi praefationes ad maius aliquod carmen sive quae a veteribus scriptoribus appellantur prooemia. — Longe tamen aliter se habent hymni maiores, qui prooemii modum excedunt; exordium enim et epilogum si demas, vera existunt epica carmina minora, ex quibus more rhapsodiarum recitatis videntur contracti esse hymni minores: velut ex Cereris carmine hymnus tertius decimus, ex hymno tertio h. XVIII. Conclusio autem videtur fuisse legitima haec: αὐτὰρ ἐγὼ κτλ., quae numquam deest nisi semel hymno in Venerem, ubi quam hodie legimus librarii errore temere subditam habemus. Poeta enim, quum versu antecedente καὶ σὺ μὲν οὕτω χαῖρε κτλ. deum valere iussisset, ne videatur dei propitii missio esse facta, adiungit loco epilogi versum, quo cessat alia carmina in dei honorem pollicitus. Hoc ipsum αὐτὰρ ἐγώ κτλ. non auspicari posse carmen in dei honorem compositum in aperto est, quod uno carmine non erant celebranda: „deus et alia"; clausulae prae se ferens speciem et naturam significat profecto maioris carminis recitationem vel compositionem peractam. Quod vero codices nonnihil discrepant ab hac sententia haud magni duco, clausulas enim a librariis sine certa ratione carminibus adiectas esse facile quisquis videt. Suas fabulas plene enarrantes sui sunt iuris hymni maiores, quibus rhapsodos aliquas per horas Homeri carminum recitationi prolusisse in frequentissimo conventu Homerum audire cupiente, quotus quisque his temporibus est, qui credat?

De poetis, qui hymnis componendis operam dederint, si quaerimus sponte nobis occurrunt rhapsodi, qui poetarum officio

functi, laudes deorum solemnibus in contionibus celebrantes, nihil fortasse aliud recitabant nisi epica arte compositum hymnum, quoties ad concursus musicorum certaminum (ἀγώνων) descendebant; minoribus autem hymnis auspicabantur recitationes deorum quasi auxilium implorantes, ut victis competitoribus praemia nanciscerentur (H. VI, 19 δὸς δ'ἐν ἀγῶνι νίκην τῷδε φέρεσθαι). Eosque quod semper discendis recitandisque Homeri carminibus operam dederunt, usu diuturno aliquantum artis poeticae consecutos esse Wolfius arbitratur, nixusque Plutarchi de mus. c. 4 et Schol. ad Pind. Nem. II, 1 rhapsodos statuit poetas hymnorum, quibus solemni recitationi Homericorum aliorumque carminum praeluderent; — cui sententiae per se probabili duae favent clausulae h. XXXI, 18. XXXII, 18. — At prooemii naturam longe abesse ab hymnorum, qui vocantur maiores, indole iam monuimus, neque verisimile est rhapsodum quemquam epica arte loci cuiusdam propriam fabulam composuisse, etenim ubique heroum fata vel facta carmine persequi et recitare satis putavisset. Cultus enim loco cuidam res familiares non omnes Graecos aeque delectasse inde licet coniicere, quod perraro scriptores hymnos laudant. Neque quisquam uno carmine potuit illam comprehendere, nisi qui diu illic moratus fabulas, regionem, cultum optime cognoverat; quod admodum raro cadere videtur in rhapsodos, qui pecuniae quaerendae causa totam per Graeciam migrabant, quod sane, si una in urbe mansissent, hominum satietatem non diu effugissent. Itaque carmen rectius videtur adscribi erudito antiquiorum temporum homini, qualis fuit sacerdos deae, quae hymno laudatur. Atticum vero esse hymni poetam, qui tamquam in sinu gestabat Homeri carmina, quum ex totius carminis ratione fit verisimile tum ex nonnullis formis, quas Vossius collegit (v. 19 ὄχοισιν, v. 240 λάθρα, v. 40 χαίταις ἀμβροσίαις, v. 205 ἑορταῖς, v. 308 μάτην, v. 407 ἐγῶ, v. 440 κόρη, v. 454 ἦρος, v. 497 ᾠδή, v. 253 πέδονδε, v. 242 ποιεῖν ἀθάνατον, v. 132 τιμή pro voce ὦνος, v. 142 et 144 ἐπιτηρεῖν servandi notione usurpatum). Poetam Eleusinia loca, Rarium et Thriasium campum, quos laudibus effert, ipsum vidisse eo consentaneum est, quod eius descriptio ad locorum conditiones, quas docti viri his temporibus Levsinae agnoverunt, omnino quadrat. Atque etiam variae orationis formae Atticam originem declarare

videntur, quam regionem plurimarum gentium commercio usam ex omnibus paene linguae formis aliquid contraxisse quum omnium conscientia, tum dissertatione constat Piersoni ad Moerid. p. 349 ab Hermanno in Opp. coll. T. I., 132 laudata. — Iam toto carmine quod poeta demonstrare expetit, quomodo factum sit, ut clarissima Cereris sacra instituta sint atque Eleusini potissimum dea faveat, sacerdotúm inde in hymno auctoritatem ex aliis quoque rebus perspicuam, facile agnoscas. Versus enim quadragesimus sextus, ut exemplo utar, inepte auspicia celebrat, nam Iovem noluisse Cererem de raptu certiorem facere ex vv. 3 et 4 manifestum est; Metanira deinde reprehenditur impia, quod curiosa et deae diffidens Cererem impediat; certae iam sacrorum traduntur regulae, neque ullus Cereris cultus nisi Atticus Eleusine actus praedicatur isque ab ipsa dea constitutus (omittimus suspectum v. 491); toto hymno magis laudatur Cereris clementia ea, qua animos, quam ea, qua corpora beneficiis afficit. Leges frugesque iam hominibus datas silentio transmissit poeta, sacrorum potissimum rationem habet solemnium, quae etiam postea fuisse affirmat v. 205; neque verba solemniter facit de summa dea, quam non Δα vel Δη (μήτηρ) sed familiariter Δηώ appellat vv. 47, 211, 492, ut saepius attici poetae Soph. Antig. 1108, Eurpd. Suppl. 290, Aristph. Plut. 515 cet. Ceterum a viro res simpliciter narrante tum formulam v. 321 Ζεὺς ἄφθιτα εἰδώς, vv. 311, 312, 367—369, tum maxime vv. 476—482 alienos esse puto; his enim celebratur fortuna initiatorum, quorum gratia tartarus in duas partes divisus est, iisque beata et deorum similis post mortem vita promittitur.

His fere causis de sacerdotum in condendo carmine auctoritate sententiam maxime fulciri et confirmari censui. Atque aliis quoque locis sacerdotes advenas, qui sacrorum fabulas, causas, primos auctores perquirerent, simplici narratione docere consuevisse traditum est. Sacrorum autem erat celeberrimorum: loci fabulas diu soluta oratione circumlatas latius carmine propagari, quod, cum multis virtutibus conspicuum esset, ipsi Homero tributum est. Numeris videtur adstrictum esse a viro priscae fidei dedito, ut non solum artis et religionis esset monumentum sed etiam magis alliceret diutiusque teneret hominum animos. Ita constitutas fabulas, a sacerdotibus ser-

vatas, veri simile est varias ob causas, plerumque festis diebus, — nescio an a rhapsodis — recitatas esse.

Viva tantum voce carmen pervulgatum tandem aliquando literis mandatum est, ut tum forte pervulgatum nunc habemus. Qua re facile fieri potuit, ut nonnullis locis versus insererentur vel res, quarum memoria hymnum describentis animum subiit; itaque hymnus ex hominum ore literis conscriptus aliter se habet ac fabula integra certo consilio a poeta composita; qua ex causa natas esse duco discrepantias, quas in hymno esse non nego, multae enim passim oriri repugnantiae, ortaeque tradi potuerunt. Ei igitur, qui literis fabulam mandavit, diversas, ut ita dicam, Hermanni recensiones versatas esse puto, ex quibus uni, quam pro praecipua habebat, addidit, quae propria erant reliquarum, id potissimum agens, ut omnium sacrarum consuetudinum in hymno daret exemplar et quasi explicationem. Praeterea recte fortasse monuit Büchelerus: novavisse plura eum, qui primus hymnos collegisset. Tres autem quod scimus Eleusine claros fuisse in Cererem hymnos*) atque unum ex iis Lycomedibus dedicatum, iam pro certo habeo, Pamphi etiam et Homeri hymnum proprium fuisse carmen gentis, cuius partes in sacris celebrandis praedicaverit. Homeri igitur hymnum, qui Celeidarum potissimum pietatem et in deam beneficia enarrat, commovente Celei generis dignitate compositum traditumque, Pamphi autem carmen Eumolpi genti adscriptum esse mihi veri simile est, quod multa sunt exempla eadem in fabula ab alio poeta alii viro vel genti datas esse primas partes; atque facile sane potuerunt eiusmodi res commutari in fictionibus, quae quanto erant recentiores tanto facilius rationum immutationem et incrementa inculcata patiebantur. Una Eleusiniorum nobilis progenies quum haberet in Cererem hymnum proavi pietatem et deorum in urbem beneficia celebrantem, facile potuit fieri, ut gentes aeque nobilitate et fama florentes aeque carmine celebrari vellent, ne alii genti cederent. Quocirca evenit, ut Pausaniae aetate hymni Eleusine traderentur minus ipsa fabula quam nominum et singularum rerum narratione diversi. Quibus celeberrima et antiquissima poetarum nomina praescribere postea gentes certarunt. Ut maior hymnis fides

---

*) cf. p. 30 sqq.

esset et auctoritas Pamphi, Homeri, Musaei nomina ementiebantur, quod poetas his antiquiores aut magis gloria famaque florentes invenire non potuerunt.

DE DICENDI GENERE.

Hymni sermo est simplex, dilucidus, orationis luminibus distinctus, plerumque Homeri simillimus, cuius ex carminibus multae formulae, quae sunt quasi fundamentum, sumtae sunt; admixtae tamen sunt nonnullae atticae, quas supra commemoravi, et aeolicae quaedam formae*) e. g. v. 260 ἤματα, v. 408 πάρ, v. 64 σεῦ diu iam epica in arte usurpatae. Comparationes et imagines rarae quidem sed pulchrae et aeque ac descriptiones ad naturae similitudinem compositae paucis modo verbis redduntur, velut v. 107 ὥστε θεαί, v. 241 θεοῖσι δὲ ἄντα ἐώκει, v. 237 ἠΰτε δαλόν, v. 386 ἠΰτε Μαινάς (cf. X, 460), v. 66 κούρην, γλυκερὸν θάλος, v. 178 κροκηΐῳ ἄνθει ὁμοῖαι· semel tantum similitudo duobus est versibus exposita v. 174, semel parum commode dicitur v. 428 χθὼν ἔφυσε νάρκισσον ὥσπερ κρόκον. — Narrationis, qua Ceres Celei filias fallit, legationum Iridis, Rheae, Hecatae, Cereris apud Metaniram receptionis cet. facile agnoscimus Homeri exempla, sed iam Ruhnkenius, qui primus carmen examinavit: „saepe“ ait „quibus Homeri maxime praestantia cernitur, plane desunt nervi, spiritus, sanguis. Quam iacent, ut alia taceam, Iridis, Hecatae, Rheae legationes.“ Quae recte quamquam vituperantur, plerumque tamen narratio bene composita et sine longis digressionibus progreditur. Accedit, quod poeta non libere ingenio indulgere potuit, quoniam ei uno erant carmine enarrandae singulae fabulae, quae in hymno excursus vel embolii speciem prae se ferunt; velut raptui in Creta insula facto pro totius hymni ratione maior versuum numerus conceditur. Omnino erant carminis rationes saepe ad posterioris aetatis instituta expendenda; itaque novem dies Ceres terras pererrat, sive quod totidem dies sacra celebrabantur, sive quod per idem tempus sacris initiari cupientes ieiunium servabant. Neque non ad cultum pertinet, quod Hecate et Ceres, quamquam multa est solis lux, faces ferunt —

*) Quas nuper Thieleus (Prolegg. in hymn. IV. Homer in Venerem Halis 1872 p. 48) Giesei de dialecto aeolica librum secutus etiam in Veneris hymno inveniri ostendit.

cultus ostenta, atque quod v. 174 sq. cursus narrantur, postea etiam in deae cultu usitati, siquidem tale quid licet concludere ex nomine *Καλλιθόη*.*)

Ipsumque Iambes nomen ductum videtur ab Iambo in lusibus adhibito; festis enim Cereris diebus licentia erat facetiarum, quae *στήνια* vel *γεφυρισμοί* vocabantur, quarum v. 202 sq. poeta voluit ostendere origines. Sunt etiam vocabula ex sacris postea excultis translata e. g. v. 273 *ὄργια*, quod verbum Metanira non potuit intelligere, quoniam res ipsa nova erat et inaudita. Saepe epicorum more poeta uberiore dicendi genere usus est, cum ea adiiceret, quibus aliquid fit, velut v. 197 *προκατέσχετο χερσὶ καλύπτρην*, v. 20 *φωνῇ ἰάχησε*, v. 57 *ἴδον ὀφθαλμοῖσιν*, v. 188 *ἔβη ποσσί κτλ.*; circuitus quoque inveniuntur: v. 150 *κράτος τιμῆς*, v. 35 *λεῦσσε αὐγάς τ'ἠελίου*. Aliis locis agnoscas priscae artis dilucidam descriptionem e. g. v. 174 sq., ubi regis filiae crinibus fluitantibus domum currunt, vel v. 326, ubi dei *ἀμοιβηδίς* incedentes Cererem in suum consessum frustra revocant. Attamen non pauci inveniuntur loci, quibus poeta ab Homeri simplicitate longe abest, cuiusmodi omitto vv. 417—424, sodalium vv. 6—8 et v. 426 sq. florum enumerationem quasi catalogum. Taceo etiam de quatuor nuntiis, quorum duobus facile possumus carere, nihili facio Cereris nomen adornatum arborum magis quam deorum cognomine vv. 4. 23 *ἀγλαόκαρπος*· sed sunt nonnulla fusius dicta, quae vel poeticae artis veritatem longe traiiciunt, velut vv. 13. 14 narcissi odor coelum implet et terram et mare, v. 189 Ceres in vetulam ancillam mutata *πλῆσεν δὲ θύρας σέλαος θείοιο*: Quae res satis memorabiles saepius placent poetae. Aliis ut exemplis utar: v. 275 sq. sex versibus magna verborum copia tradit, quae prodigia facta sint, cum dea abierit; narrat etiam ubi Celeus in concione de condendo Cereris templo verba fecerit, populum ad molem exstruendam aggressum esse, neque prius ab opere decessisse, quam aedes exstructae fuerint; versuum igitur 299—304 si sequimur narrationem, statuamus necesse est, Cereris maximum templum intra unum vel paucos dies esse constructum, quod hoc ordine res consequuntur: postquam concione finita Eleusinii Cereris aedes aedificarunt, ex labore

*) C. Inscr. gr. n. 434 traditur Eleusine etiam feminas fuisse sacerdotes.

acquiescentes, domum quisque se contulit, Ceres autem in templo consedit. — Quibus verbis permira narrari, nemo est qui neget, poetae etiamsi accipiat explicationem: ὁ δ' ἀέξετο δαίμονος αἴσῃ.

DE POETAE CONSILIO.

Quod consilium in carmine pangendo secutus sit scriptor in aperto est: docere voluit fabulam quae erat de Cereris Eleusine adventu, exponere quomodo factum sit, ut celeberrima sacra eaque Eleusine constituerentur; — quod idem docuerunt iam Groddeckius et Matthias.*) Sed nihil est unde colligatur quem ad festum diem hymnus compositus sit; solemni eum non inserviisse deorum cultui sed festorum dierum fuisse tamquam ornamenta atque additamenta plurimi putabant docti viri cf. Odofr. Mülleri litt. graec. hist. p. 126, Schömanni Antiqq. graec. II p. 253, cuius sententiae admodum probabilis testimonia habent hh. VI, 19. XXXI, 18. XXXII, 18. Proxime igitur absunt a Vossii illa sententia, quam in adnotationum praef. profert: „ihr zweck ist zugleich die würdigsten der allmählich entstandenen sagen und wahrzeichen, die neuen geheimnisze wie göttliche überliefrung zu beglaubigen." Convenit fere Welckeri coniectura, qui (Cycl. ep. I. p. 392) rhapsodos opinatus est Panathenaeorum festo die praeter Iliadem et Odysseam augusta Cereris sacra, quorum laudis plenae fuissent Athenae, simplici narratione populo commendasse; sed miramur, quod nullo loco Athenarum celeberrima urbs laudibus effertur et hymni argumentum (cf. v. 265—267) a Panathenaeis, quibus Atticarum civitatum aeternum foedus celebrabatur, prorsus alienum est. — Minus etiam mihi probatur, quod dicit Matthias in praef. edit. p. 5: „Neque singuli tantum hymni in singulo sacro canebantur, sed saepe plures et quidem trini decantati videntur; primus pompa sacra ad templum procedente, alter inter ipsos ritus sacros, tertius post rem divinam peractam sub sacram coenam." Quae acutius quam verius disputata, ex opinione, non ex argumentis prolata missa facio ut nullis argumentis munita. Equidem censeo: esse in hymno narrationem, quam nostrates dicunt „cultlegende", de qua non pos-

*) Groddeckius, De hymn. Hom. reliquiis p. 45 sq. Matthias in praef. hymn. edit. p. 75.

sumus certi quidquam statuere, qua in occasione narrata sit. Admodum probabilis Welckeri videtur sententia:*) die feste, die auf solche urmythen sich gründen, behaupten die grundidee und zeigen zugleich in den sinnbildl. gebräuchen einen reichthum freier erfindung. Dasselbe gilt von der erzählung der mythen. Wie demnach die religion ihrem wesen, dem ersten anfang ihrer entwicklung nach poetisch war, so setzte sie auch die poet. anlage vor allen andern in übung. Itaque neque concedimus hymnum in certamine a rhapsodo esse editum, quod nulla fuerunt Eleusine certamina inclita musica; neque hymnum merum esse damus ingenii ludum, quo Cereris fabulam, ut aliam quamvis certis numeris adstrictam, poeta proponat specimen ingenii et artis. Obtinemus potius hoc carminis esse consilium, ut facta enarrentur, quibus et de celeberrimis sacris antiquitus iam traditis et de deorum benevolentia et promissis advenae certiores fiant; itaque hymnum recitatum esse censemus non in ipsa re sacra sed in frequentia conventuum, quos talibus declamationibus et delectari et edoceri viri, qui sacra administraverunt, aut facile passi sunt aut curaverunt.

DE HYMNI AETATE

quaestionem pertractantibus primum videndum est, ipsone ex carmine inveniamus ansas, quae ad aetatis rationes constituendas valeant. Artem quidem metricam, rem grammaticam, verborum usum ad Homeri exemplum proxime accedere supra diximus. Intercedunt sane singulae leves admodum differentiae, quarum nonnullas ostendendas esse putavi, ut liberum sit ex ipsius poetae arte iudicium de hymni et Homeri carminum diversitate. — Versuum, qui dactylici vocantur (sunt 99), eadem est atque apud Homerum ratio, quintus quisque ex meris dactylis compositus est: spondiaci autem sunt modo sexaginta tres, octavus quisque versus. Binis etiam vel trinis in versuum pedibus spondeos dactylis multo rarius inveniri ex ipsa versus heroici natura sequitur, e. g. spondeorum trinis in pedibus inventorum maximus numerus sane exiguus est (in pedd. I., II, IV.) quatuordecim; quodque aliis trinis spondeis instructi ver-

---

*) Ep. Götterlehre II. p. 63.

sus 136., 202., 332., 417., 421 nonnullas plerumque ob causas suspecti sunt, non mireris quaternos in versibus spondeos (trinos in pedd. I., II., V. II., III., V.) plane deesse. Reperiuntur spondei saepius in versus priore parte; versus enim heroicus — quod idem apud Homerum fieri Bekkerus demonstravit — hoc quoque in carmine leniter exordiens decurrere solet; itaque spondei reperiuntur saepissime in pede secundo (170), dactyli autem binis in pedibus rarissime apparent in versuum incipientibus pedibus I., II. (205). Choriambum vero, si exordium ducit, saepe sequitur anapaestus, quod si fit, maximus versus est vigor et clara quodammodo magnificentia. — Versus legitimae quae intercidunt caesurae a norma Homeri non recedunt, nam idem fere numerus earum invenitur: III, 1: 233; III, 2: 243; tres modo carent tertii pedis caesura versus 74., 109., 458., quia nomina propria obstant; neque saepius aut elisio in caesura (v. 207), aut post caesuram voces encliticae inveniuntur (248, 486), qui versus aliam quoque caesuram praebent. Differt paulo ab Homero interpunctio pedis V (v. 27, v. 203) atque graves distinguendi notae sese a versu 435 usque ad v. 440 excipientes, quibus narratio quasi discerpitur et facile oritur lacunarum suspicio. Discrepat etiam ratio exituum ab Homero, qui ex dimidia fere parte vocabulis utitur trisyllabis (cf. Bekkeri dissertationem in relationibus menstr. Acad. Berol. 1859), hymnus praebet modo 178 in integris versibus 479. Monosyllabi exitus plerumque vitio dati nihil in hymno habent offensionis, quod paene omnes (20) in certis formulis reperiuntur. Maioris est momenti, quod vocales nonnumquam producuntur eaedemque corripiuntur e. g. vocalis ante mutam cum ϱ consona coniunctam longa vv. 6., 25., 92, brevis invenitur vv. 18., 32., 102. Producta ut evadat syllaba sola sufficit arsis vis aut geminationes, (quarum causa non semper in aperto est, velut v. 28 πολυλλίστῳ, v. 34 ἀγάϱϱοον), aut ν quod vocant ἐφελκυστικόν vel ante consonam v. 3 ἥϱπαξεν δῶκεν δέ, aut praepositionum mutatio v. 271 ὑπαί, v. 336 παϱαί. — Quod verbum vocali incipiens vocem in vocalem desinentem excipit, saepissime nascitur hiatus, qui carmen audientibus omnino minus fuisse molestus videtur, quam excultae artis temporibus cf. vv. 12., 76., 194., 241., 248. Post tertium pedem rarius occurit quam in priore versus parte. Oriri eum persaepe e litera de initio

vocis sublata omnibus quidem notum est, sed non item de singulis vocibus constat; mihi, quum non de digammate nunc sit disserendum, libet tantum monere, digammatis vim in hymno agnosci non posse nisi in verbis iam apud Homerum eo instructis, plerumque in formulis, quas vel Homerus, quod tum iam aeolica litera coepit evanescere, ex antiquissimis epicis carminibus, hymni vero poeta ex Homero videtur prompsisse. Voces enim modo sine digammate, modo eo auctae in usum veniunt, e. g. verbo ἀνάσσειν aliter vv. 26., 342., aliter vv. 430. 440 poeta utitur; item vox εἰδέναι v. 321 aliter se habet ac v. 195. 315 (v. 275 καί vel in thesi ante εἶδος producitur). — Praesertim negligitur digamma in carminis exitu (vv. 430. 438. 440. 458. 492), aliis etiam a reliqua carminis parte differentiis insigni. Aetatis Homero recentioris, qua hymnum compositum esse arbitramur, alia etiam signa sunt; ut exemplis utar: vocis ὕδωρ prior syllaba ab Homero in arsi tantum producta, hic in thesi quoque producitur v. 382, quod epicorum est, qui posterius fuerunt; deinde vox Ἐλευσινίδαο v. 105 habet priorem ι correptum, quod nullo alio loco invenimus nisi Soph. Antig. v. 1120; verbi denique ἄϊεν prima syllaba, qua (excepto loco Φ 388) Homerus brevi utitur, v. 25 producta reperitur. At vocis καλός α, quod Homerus semper producit, Hesiodus bis, Attici semper corripiunt, hoc in hymno, ut apud Homerum, semper productum legimus. Poetae inconstantia apparet quoque in singulis formis, quas varium in modum constituit, e. g. v. 408 Κρονίδαο mutatur v. 414 in Κρονίδεω, cum v. 316 Κρονίωνι legatur. — Genitivi II. decl. usus, quod utraque terminatio ου et οιο tricies sexies invenitur, recedit aliquantum ab Homero et Hesiodo, qui saepius utuntur genitivo in ου; alia autem ratio est dat. plur. terminationum, οισι enim quadragies bis, οις septies decies, εσφιν semel v. 19 invenitur. Tertiae autem declinationis dat. plur. promiscue in iisdem vocibus flectitur et in εσσι et in σσι, potest omnino multis modis conformari: vv. 52. 253 χείρεσσι, v. 425 χερσί· vv. 10. 476 πᾶσιν, v. 397 πάντεσσι· πούς vel tres praebet formas ποσσί, ποσί, πόδεσσι. Neque genit. subst. in ις, qui exit in ιος, ηος, ιδος, ινος minore gaudet formarum copia; neque ea carent substantivorum in ηρ casus obliqui, modo servato ε (δ) modo reciso constituti; v. 139 ἀνέρος, v. 150 ἀνέρας, sed v. 125 ἄνδρες, v. 136 ἄνδρας. Vocabulorum, quae anomala vocantur, cernitur

diversa conformatio vel ex paucis, quae affero, exemplis; v. 174 εἴαρος abest sane a v. 455 ἦρος (XIX, 17 ἔαρος); aeque v. 169 καρήατι differt a v. 466 κάρητι (VI, 7 κρατί), nomin. autem plur. v. 12 κάρα alienus est ab Homero, qui utitur formis καρήατα et κρᾶτα. — Adiectiva etiam duplici nonnumquam utuntur forma: v. 242 ἀγήρως, v. 260 ἀγήραος; v. 54 πότνια v. 118 πότνα, v. 346 κρατύς: v. 430 κρατερός, cumulanturque adverbia idem significantia v. 398 πάλιν αὖτις, v. 303 ἀπὸ νόσφιν, v. 205 ἔπειτα μεθύστερον, v. 267 αἰὲν — ἤματα πάντα. Formae quum quasi liquidae appareant, non absonum est, quod praepositiones crebro a verbis (21 sunt tmeses) segregantur, ut iis magis adpositae quam compositae esse videantur. Verborum formae saepe geminatione utuntur, velut v. 49 ἔλλαβεν, v. 64 αἴδεσσαι, aliae exstant v. 86. 87. 287. 365. 413. 414. 456. Neque aoristi secundi reduplicatione instructi vv. 179. 342. τέτμον, v. 88 ἐκέκλετο, v. 125 ἀπήγαγον, v. 279 κατενήνοθεν, neque varie constitutae desunt verborum formae: v. 56 ἥρπασε: vv. 3. 19 ἥρπαξε, v. 46 ἦλθεν: v. 51 ἐπήλυθε· v. 125 ἀπήγαγον: v. 20 ἦγ᾽: v. 81 ἄγεν (v. 111 aor. ἔγνων: v. 95 impf. γίγνωσκε); paucae tamen absunt ab Homero verborum formae v. 254 κοτέσασα (Homeri est κοτεσσαμένη vel κοτέουσα), v. 452 εἱστήκει; monet enim iam Aristarchus plusqpf. tempus verbi ἵστημι ab Homero sine augmento formatum esse. — Sed minime ab Homeri usu abhorrent epicae artis dativi v. 20 φωνῇ ἰάχησε, v. 57 ἴδον ὀφθαλμοῖσιν, v. 118 ἐπέεσσιν ἀμείβεσθαι, v. 188 ἔβη ποσσί· coniungitur etiam dativus, qui significat animi motus, cum praepositionibus: v. 246 δεῖσαι περί τινι, v. 77 ἄχνυμαι περί τινι· accusativi v. 92 νοσφισθεῖσα ἀγορήν insolitus est usus aeque ac praepositionis v. 64 ὑπέρ, v. 280 adverb. ὡς, quae pro tota enuntiatione usurpantur; neque ut apud veteres scriptores vv. 316. 448 verborum iunctura ὣς ἔφατ᾽ orationem rectam sequitur.

Quibus ex quamvis perpaucis formis iam intelligitur, aetate et loco, quo carmen compositum sit, diversas formas auditas esse, poetamque modo epica potuisse, modo aetatis vel loci consuetudine uti, neque eum admodum severas sibi statuisse in connectendis vocibus regulas, ut v. 349 μετὰ σφέας referri potest modo ad Iovem, cui voci supplendum est ‚et alii dii‘. — Nonnumquam poeta ad versum respiciens omisit vocabulum, quo quidem oratio, sed aegre tantum, carere potest e. g. deest v. 447

verbum ‚manendi', vv. 84. 102 copula, obiectum verbi vv. 118. 173, — maxime vero consuetis regulis adversam formulam v. 15 *χερσὶν ἅμ ἄμφω* malumus librario quam poetae tribuere, qui ubique id agit, ut Homeri vestigiis insistat, sed longius distat ab eius aetate et ingenio, quam ut consilium, quod sibi proposuerat, semper consequi potuerit, quamobrem persaepe non modo singulas verborum iuncturas, verum etiam tota hemistichia ab illo petiit. Ac paene ad verbum hymni scriptor ex Homero novem transtulit versus *) (45. 48. 61. 112. 186. 247. 260. 320. 484), maiores particulas vel hemistichia 45, singulas formulas 154. Cum Hesiodo multo minus convenit hymni ratio, quod carmen cum eo communia habet tantum 10 hemistichia et 14 formulas; versus centesimus decimus est Theog. v. 79 simillimus. Voces Homero non notae sunt: vv. 273. 476 *ὄργια* (Aesch. Septem 161. Aristoph. Thesm. 948) **), vv. 47. 211 *Δηώ* (Soph. Antig. 1120), v. 203 *παρασκώπτω* (Plut. vit. Demosth. c. 28); nonnullae vero casu fortasse Homeri carminibus non insertae sunt: v. 205 *ὀργή* (Hes. Opp. 304), v. 202 *χλεύη* (Herod. VII, 8), v. 142 *τηρέω* (Pind. Pyth. II, 88), v. 244 *ἐπιτηρέω* (Aristoph. Equit. v. 1031); fructus et plantae: vv. 7, 426 *ἀγαλλίς* (in Nicandr. apud Athen. XV pg. 683), v. 209 *γλήχων* (Arph. Acharn. 874), vv. 372. 412 *κόκκος* (Herod. IV, 143), vv. 8, 428 *νάρκισσος* (Soph. Oed. Col. 883). — Neque desunt voces idem significantes atque Homeri vocabula aliter formata v. 476 *δρησμοσύνη* (*δρηστοσύνη*), ***) v. 278 *φέγγος* (*φάος*), vv. 168. 223 *θρεπτήρια* (*θρέπτρα*), v. 141 *νεογνός* (*νεογιλός*), v. 284 *ἐλεινός* (*ἐλεεινὸς*), v. 402 *παντοδαπός* (*παντοῖος*), vv. 98, 272 *κολωνός* (*κολώνη*), v. 56 *Περσεφόνη* (*Περσεφόνεια*), v. 425 *ἐρόεις* (*ἐρατός*, *ἐρατεινός*), v. 128 *ἐπαρτύνομαι* (*ἐπαρτύω*), v. 50 *λουτρόν*, v. 289 *λουέω* (*λοετρόν*, *λοέω*), v. 439 *κόρη* (*κούρη*), v. 494 *ᾠδή* (*ἀοιδή*), v. 230 *ἐρυσμός* (*ἔρυμα*), v. 122 *Δώς Δωΐς* (*δόσις*), v. 208 *ἄλφι* (*ἄλφιτον*), v. 51 *φαινολίς* (*φαεινός*), v. 165 *πολυεύχετος* (*εὐκτός*), v. 439 *ἀμφαγαπάω* (*ἀμφαγαπάζω*), v. 240 *λάθρα* (*λάθρῃ*), v. 219 *ἄελπτος* (*ἀελπτής*), v. 20 *ἰαχέω* (*ἰάχω*), v. 368 *θυσία* (*θύος*),

*) his in enumerationibus plerumque Fietkavii et Windischii de Homeri hymnis maioribus commentationes secutus sum.

**) uncis secludendos curavi locos, quibus primum vox aliqua alium apud scriptorem invenitur.

***) intra uncos adnotavi Homericas voces.

quarum formarum multae iam apud Hesiodum inveniuntur, velut *θρεπτήριον*, *κολωνός*, *ἐρόεις*, *Περσεφόνη*, *ὀργή*, *ἀμφαγαπάω*, *λουτρόν* cet. Multa sunt praeterea in hymno vocabula composita cum praep. cet., quae apud Homerum vel simplicia vel cum aliis praepositionibus coniuncta extant. Longum est ea enumerare, sed non inutile videtur commemorare hymni vocabula, quae ipsa âpud Homerum non leguntur, quamquam voces eiusdem radicis non desunt; cuiusmodi sunt v. 240 *γονεῖς*, v. 427 *λείριον*, v. 6 *ῥόδον*, v. 228 *τομαῖον*, v. 312 *θυσίη*, v. 479 *ἄγος*, v. 144 *δεσπόσυνος*, v. 486 *σεμνός*, v. 178 *κροκήιος*, v. 142 *τιθηνέομαι*, vv. 168, 223 *ζηλόω*, v. 365 *δεσπόζω*, v. 10 *θαυμαστός*, v. 308 *μάτην*, v. 367 *ἀδικέω*, v. 294 *εὐρυβίης*, v. 450 *φερέσβιος*, v. 140 *ἀφῆλιξ*, v. 427 *ῥόδεος*, v. 9 *πολυδέκτης*, v. 206 *θεμιτός*, v. 399 *μέρος*, v. 285 *εὔστρωτος*, v. 83 *ἄπλητος*, v. 85 *ὁμόσπορος*. — Quibus vocabulis multo pauciores sunt voces solitariae, ac ne eae quidem eiusmodi, ut de arte vel aetate poetae ex iis quicquam possis concludere. Index eorum hic est: vv. 31, 84, 376 *πολυσημάντωρ*, v. 54 *ὡρηφόρος*, v. 106 *εὐήρυτος*, v. 108 *κουρήιος*, v. 165 *πολυεύχετος*, v. 228 *ὑποταμνόν*, v. 229 *οὐλότομος*, v. 241 *προθαλής*, v. 341 *κατορούω*, v. 362 *δυσθυμαίνω*, v. 452 *πανάφυλλος*, v. 476 *δρησμοσύνη*, v. 478 *παρεξίημι*. Omnino in hoc carmine inveniuntur ab Homero alienae voces nonaginta tres, quarum plures apud Pindarum (23) quam apud Hesiodum (18) reperiuntur; neque compositionum ratio abhorret a Pindaro, qui v. 268 vocis *τιμάοχος* priorem partem cum aliis vocabulis componit O. 9, 124 *τιμάορος*, N. 9, 130 *τιμαλφέω*, quod non item invenitur apud Homerum. Duo autem sunt genera vocum, quae non eaedem in celeberrimis carminibus leguntur: aut Homero ignotae recentiorem aetatem redolent, aut casu eius carminibus non insertae quam proxime absunt ab usu summi poetae, ut epico tamquam colore tinctae sint; plurima utriusque generis vocabula iam apud antiquissimos scriptores in usum venerunt.

HYMNI AETAS EX REBUS IN EO COMMEMORATIS QUAERITUR.

Haec vetustatis, quam dicunt, robigo (*χνοῦς ἀρχαιοπινής*) *) cernitur etiam in hymni a n t i q u i t a t i b u s, quae paene sunt aetatis

---

*) cf. Ruhnkenii praef. edit. pag. VI.

Homeri carminibus descriptae. Ac primum quidem civitas aeque constituta est, atque ut apud istum a nonnullis regibus administrata; contionibus modo ad edicta audienda convocatis nulla est verbis disceptandi potestas. Dii autem, quorum hic quoque Iris et Mercurius sunt nuntii, humana adhuc forma induti cum hominibus vivunt, eorum necessitatibus sicuti vel frequentibus balneis assueti v. 50. Multas res ex Odyssea translatas esse facile cognoscas, e. g. v. 27 Iupiter abest ab Olympo, ut laetetur sacrificiis, quod idem narratur de Neptuno *α*, 26. Uti Ulixes (in colloquiis cum Minerva et Eumaeo), ita Ceres quoque in mendaciis Cretam sibi patriam esse simulat, quam insulam in Odyssea saepe miserorum hominum patriam fingi satis constat; neque abhorret ab Ulixis moribus, quod maximam deam, hospitio exceptam, homines decipere videmus. Imprimis habet Nausicaae fabula nonnulla, quae prope ad hymni narrationem accedunt: regis filiabus, ut Nausicaae, extra urbem domestica negotia curantibus, occurrit inops quidam homo, qui, cum auxilium petisset, benigne domo ac sedibus recipitur a regina, cuius maritus inter alios (vv. 294. 296), qui eodem nomine reges appellantur, principatum tenet; neque Proserpina cum sodalibus, Nausicaae exemplo, lusus non exercent. Aliae tamen res paululum differunt ab Odyssea: raptos quidem etiamtunc homines et in servitutem venditos audimus, neque tamen Ceres, sicuti Ulixes consuevit usa, anxie quaerit, sitne in terra hominum iniurias advenis infligentium; nimirum leges scit constitutas, reges *θεμιστοπόλους*. Quod v. 103 praesens legitur tempus *οἷαί τε τροφοὶ εἰσὶ βασιλήων* suspicari licet, iis, quibus carmen erat destinatum, non ignotas fuisse regum nutrices, sed fortasse non magis est premenda comparatio quam v. 237 *ὡσεὶ θεοῦ ἐκγεγαῶτα*, vel v. 241 *θεοῖσι δὲ ἄντα ἐῴκει*. Superstitionum vero v. 228 *ἐπηλυσίη* et *τομαῖον* inscius fuit Homerus, qui Hecaten, quae primum apud Hesiodum commeratur, ignoravit.

Ipsiusne fabulae num notitia fuerit Homero, non liquet; raro enim summus poeta verba facit de inferorum diis. Significata quidem videtur I, 569, ubi simul Pluto et Proserpina precibus invocantur, alluduntque fortasse ad hymni fabulam loci *E* 654, *Λ* 445 cet., sed Plutonis cognomen *κλυτόπωλος*, quoniam Homerus sine equorum iugis deos non fingit, non necessario ad raptum referri in aperto est. Quod raro Homero de agri deabus verba

faciendi occasio fuit, Cererem in Iliade non crebro, in Odyssea modo ε 125 commemorari, non mirum est. Numquam tamen Homerus, ut alii scriptores persaepe, Cererem et Proserpinam coniunctim praedicat vel appellat, *τὼ θεώ, διώνυμοι θεαί, ὁμόβωμοι, αἱ σεμναί, πότνιαι, Δέσποιναι, αἱ μεγάλαι θεαί*, neque congregat deas, velut *Δημήτηρ ἁγνὴ καὶ Κόρη* (quae societas primum reperitur apud Archilochum), *τῇ μητρὶ καὶ τῇ κούρῃ* (Herod. VIII, 58), per quas postea feminas (*νὴ τὼ θεώ, κατὰ ταῖν θεαῖν*) iuravisse notum est. — Pluto autem, qui est *Ζεὺς χθόνιος*, Cereris *αὐτοκασίγνητος καὶ ὁμόσπορος* (H. i. C. v. 85), arcte cum ea coniunctus primum invenitur apud Hesiodum Opp. 465 (*εὔχεσθαι δὲ Διὶ χθονίῳ Δημήτερί θ' ἁγνῇ*), qui primus quoque narrat (Theog. 913. 14) Proserpinam, fratris sororisque filiam, raptam esse a Plutone Quae fabula fortasse Homeri iam temporibus pervulgata fuit; namque Hesiodus et singulas res Homeri aetate antiquiores videtur servasse, et multas res satis antiquas, servato nomine, novis rationibus excoluisse. Atque etiam hic hymnus nonnulla praebet, quae cum a cognatorum populorum fabulis proxime absint, antiquissima putanda sint. Ut exemplo utar: anni in tres partes divisio (vv. 399. 446. 464) perantiqua est et eadem apud Indos et Graecos (λ 191. Tacit. Germ. c. 26. J. Grimm Gesch. d. dt. Sprache I, 72—74). Et quemadmodum octo per menses Proserpina in Olympo vivit, quatuor in Tartaro, ita Libero quatuor, Apollini octo sacri menses Delphis attribuebantur. Antiquus quoque mos multorum populorum est raptus uxoris e. g. Romanorum (qui Sabinos rapuerunt), Lacedaemoniorum, aliorum: nuptiae igitur deorum cum hominum moribus convenientes finguntur. Sed mirum est quod Ceres v. 73 ambigua, qui sint filiae raptores, putat mortalium etiam hominum aliquem vi invitam ducere potuisse; quod certo non potuit narrari nisi in perantiquis fabulis, aut in narrationibus libere postea a poetis fictis. Qua ex re et aliam ob causam, nempe quod Ceres, etsi v. 121 vera se esse pronuntiaturam affirmat, falsa tamen narrat: hymni fabulam Xenophanis et Aeschyli et Pindari temporibus multo vetustiorem esse colligimus. Poetae enim deos mentientes et fallentes fingere ausi sunt, aut quod tali rei putabant nihil inesse nequitiae, — ita fecit Homerus —, aut quod, antiquos deos ipsi contemnentes, nihil humani ab iis alienum esse voluerunt, qualem impiorum

(ἀϑέων) poetarum opinionem fuisse scimus. Pietate vero maxima insigni aetate Solonis, Aeschyli, Sophoclis tale quid carmini Cereris laudibus destinato inseri non potuit. Ac ne posteriore quidem aetate sacerdotes permisisse verisimile est, ut impii viri, quae in hominibus vituperabantur, ea in maximam deam impune confingerent. — Vetustatis fabulae aliud duco specimen, quod Ceres non prius divinam vim et potestatem recipit, quam in deorum consessum et arcem (vv. 321. 332), regni quasi domicilium, unde omnis deorum fit mundi procuratio, revertitur. (Ceterum de Cerere fabulae ad narrationes de Iside circumlatas prope accedunt, quae eadem docet agri cultus omnesque artes, fert leges, mitigat mores, constituit res sacras.) His de causis hymni fabulam perantiquam aliquanto post Homerum, qualis nunc legatur, constitutam esse arbitror. Quod non sine eius auctoritate factum esse pro certo habeo; nam in antiquissimis Graecorum loci cuiusdam fabulis, quae quidem propriae fuerint, Olympi montis nulla fit mentio, immo in suae terrae montibus et lucibus poetae deos collocabant. Cereri autem Eleusine quidem sedes parantur, sed propriae et antiquae sunt in monte Olympo: maior igitur est in hymno Homeri quam loci auctoritas.

Attamen neminem fugit Homeri fictiones iam esse quodammodo mutatas; dii enim, cum apud eum acerbe quid patiantur, Iovis legibus minus obediunt aut manus inter se conserunt, alias sunt felicissimae vitae humanae exempla, in hymno autem naturae quasi imagines et gravissimis doloribus affecti finguntur. Simplices ille formavit deos neque diversis negotiis distractos; posteri autem varia iis adscripserunt munera: ut Proserpina apud Homerum atrox (ἐπαινή) est inferorum regina, quae eadem in hymno dea fit frugum, amoenissima virgo, laetissimis cum sodalibus ludis se delectans. Ipsa igitur sibi dissimilis describitur, nam neque Cereris venustae filiae concinnum est nomen ἐπαινὴ Περσεφόνεια, i. e. quae morte vel caede perdit, neque naturam Proserpinae, quae duas anni partes apud superos in luce consedit χϑόνιος ϑεά, intelligimus, nisi duas deas posteris temporibus in unam conflatas esse concedimus.

E l e u s i n i o r u m s a c r o r u m si notae essent origines, descriptionem haberemus temporis, ante quod hymni ne veterrima quidem forma confecta esse posset; sed mysteria temporibus, quorum nullum est apud scriptores testimonium, et orta et exculta

sunt. Eleusinii quidem sacrorum institutionem referebant ad veterrimum heroa Eumolpum, Neptuni filium, qui, arborum et vitium culturae inventor (Plin. VII. pg.59 Bip.), Eleusinia iam Erechthei temporibus condidisse traditur (Marm. Par. ἀνέφηνεν); initiatorum vero agmen ducunt Hercules (cuius gratia minora Eleusinia feruntur instituta esse), Iason, Iovis filii a Triptolemo in sacra admissi et recepti (Apollod. I, 915 c. schol. Diod. V, 49. Orph. Argon. 465).

At postea Orpheus ab Orphicorum familia quum omnium mysteriorum, tum Eleusiniorum auctor habebatur cf. Lobeckii Aglaopham. pg. 238 sqq. Narrant etiam Orphici Celeum et Eumolpum aeque ac Dysaulem et Triptolemum Eleusinis primos fuisse incolas (autochthonas), quorum unus Dysaules (vel rectius Disaules) a Pindaro (in fragg. nuper inventis, cf. Schneidew. Philol. I. pg. 429) traditur Cererem hospitio excepisse. Deae igitur cultus, iam Aboriginibus adscriptus, fortasse non multo minor erat aetate quam ipsum oppidum, quod a Triptolemo Eleusinis filio conditum, priore vocabulo depulso, nomen videtur traxisse a Cereris adventu (Ἐλευσίς). Sunt deae sacra Eleusinia iam constituta, antequam Attici in Ioniam demigraverunt; fuerunt enim nonnulla Asiae minoris sacra ab Eleusiniis profecta e. g. Ephesi, qua in urbe Strabo (XIV. pg. 663) narrat Nelides vel Androclides Eleusinia, βασιλέως dignitatem et nomen habentes, etiamtunc curavisse, cf. Boeckh. Ind. lectt. Berol. aestv. 1830. Atque iis temporibus, quibus Graeci cum Persis bellabant, tradit Herodotus IX, 97, 101 de dearum in promontorio Mycale antiquissimo templo, quod Codridum comes quidam exstruxerat Cereri Eleusiniae aut Ποτνίαις (sc. deabus) sacrum. Sacra etiam in Cretam, in Siciliam, in multos alios locos mature propagata esse notum est. Soli Argivi maxime repugnabant Atheniensium opinioni de Cereris beneficiorum vetustate (Paus. V, 14, 2), adiuti fortasse fabula, quam Herodotus tradidit: Danai filias Thesmophorias, antiquissima Cereris solemnia, in Argolide constituisse. Orphici, ut rem probarent, fabulam consuerunt: Trochilum, Argivorum hierophantem, venisse in Atticam, Eleusiniamque feminam ab eo uxorem ductam esse, quibus orti essent Eubuleus et Triptolemus. Incolae etiam Phlyae, attici pagi, gloriebantur, sua magnae deae et Phlyae sacra (κόρης τελετάς) Eleusiniis esse antiquiores (Pseudo-Orig. π. αἱρέσεων

p. 144 ed. Miller). — Temporis igitur rationes incertae iacent, latentque sub fabulis. Sed utut res se habet, Eleusinia maxima semper gloria floruerunt; ignota prae eorum fama cetera fuerunt Cereris sacra, ut deae cultus Andaniae Messeniorum, qui omnium secundum locum tenuit, atque quae sacra gentilicia habebant Athenis Gephyraeorum gens Herod. V, 61 et Lycomides, qui Phlyae Cererem mysticis coluerunt rationibus, deinde in Eleusiniis celebrandis faces gestarunt. Eleusinias vero divinas res, ab omnibus Graecis plurimi factas, Pausanias (X, 31) ait tanta auctoritate ceteris sacris semper praestitisse, quanta heroibus dii antecesserint; neque atrocius quidquam in deos posse committi, quam si quis mysteria violaverit, scriptores affirmant. At Homerus Eleusiniorum nullam notitiam habuisse videtur; contendit quidem Odofr. Müllerus („die Dorier“ pag. 258), celeberrimum poetam Eleusinia sacra non ignorasse, abhorruisse tamen eum ab inferis (*χθονίοις*) diis; sed Homerus in tanto carminum circuitu, ubi tot de morte, Orco cet. verba fecit, nonnumquam profecto, si mysteria cognovisset, ad initiatorum fortunam allusisset. Quod vero Epicharmus Eumaeum finxit porculum caedentem, ut Eleusiniis sacris initiaretur, ad confirmandam Mülleri sententiam nihil valet.

Primus certae aetatis scriptor mysteria laudibus effert Pindarus J. I, 57 (quem sequuntur Herod. II, 51. Eurpd. Herc. fur. 612); accedit Aeschylus, qui magno in periculo fuisse traditur *ἐπὶ τῷ τῶν μυστικῶν τι προφέρειν* (Clemens: *τὰ μυστήρια ἐπὶ σκηνῆς ἐξειπών*); diu igitur ante Aeschyli tempora Cereris sacra fama inclaruerunt maxima, quae, per longissimum temporis spatium retenta, Theodosio regnante demum videtur evanuisse. Commutata vero sunt iam ante Solonem, quod Orphicorum auctoritate ingravescente Liber (*Ἴακχος*) a Cerycum vel Eumolpidarum gente in mysteria inductus est dearum assessor (*πάρεδρος* Aristd. pag. 30).*) Primas mox Liber egit mysteriorum partes; Plato iam Phaedr. pag. 264 Apollini *μαντικήν*, Baccho *τελεστικήν* adscribit, atque Strabo X. pag. 468 mysteriorum eum vocat. *ἀρχηγέτην*. — Homerus tamen neque Bacchum mysticum novit,

*) Ipsam quoque deae filiam *κόρην*, ut nonnulli voluerunt, Eumolpi et Orphei secreta doctrina Cereris sacris additam esse, nullo modo adduci possum ut credam.

neque Orpheum eius poetam, numquam enim laudat poetae celeberrimum postea nomen, abest etiam vis et notio rerum, quae huic nomini subiectae sunt (non ignoro locum *Z*, v. 132 sq.); ne lineamenta quidem earum apud poetam reperias, nedum certam formam. Hesiodi tantum eiusque aemulatorum temporibus Orphei sententiae et superstitiones obviae sunt, velut *τελέτη; ὄργια* in Solonis legibus, *μυστήρια* de Eleusiniis dicta modo apud Herodotum leguntur, *Ἴακχος* apud Sophoclem Antg. 1119. Herod. VIII, 15.

Quae si recte disputata sunt, hymnus compositus est, priusquam Orphici Bacchum admiscuerunt Eleusiniis sacris. Nulla enim re fabula ad illorum *Ἴακχον* alludit, nisi quod Proserpina rapta esse perhibetur de campo Nysae, in quo ille natus aut educatus est, cf. Cic. Flacc. 26, 60, Ovidii Metam. 4, 3; de qua ipsa Nysa videtur *Διωνύσου*, i. e. Iovis de Nysa nomen accepisse. Itaque hymni poeta, quod non novit Dionysum, qui postea Cereris aut Proserpinae filius vere est *Δημήτριος*, propior abest ab Homero quam ab Hesiodo aut ab Orphicis; habet Eleusiniorum doctrinam priscam, simplicem, nondum subtilius excultam. Improbo enim Döllingeri*) sententiam: hymni poetam, nova mysteriorum incrementa reticentem, hoc ipso silentio ea reiicere voluisse; neque secutus sum Lobeckium et Muellerum, qui Eleusiniam doctrinam ortam esse perfectam volunt, contra cum Welckero paulatim eam excultam esse crediderim.

Ad hymni temporis descriptionem etiam valere videntur qui extant de bello Eleusinio versus 265—67; tempus enim utique significant, quo recens erat illius belli memoria, quae postea paene evanuit vel ad tabulam rediit. Codex quidem Mosc. praebet lectionem *ἐν ἀλλήλοισι*, sed corruptum esse locum, iam ex cod. *συναυξήσουσ'* coniici potest; praeterea absonum est, quod Ceres vaticinatur, pueri a dea summe dilecti temporibus semper fore bella civilia, quibus profecto non comparatur *τιμὴ δ' ἄφθιτος αἰέν*. Penitus autem versuum argumentum abest ab O. Muelleri sententia: praeclara hoc loco inaugurari Eleusine certamina; quae antiquissima quidem inter omnes *ἀγῶνας* habita — praemium erat sacri campi Rarii hordeum — laudantur modo a Pindaro Ol. IX, 99, XIII, 110. J. I, 57 c. schol. et ab Aristd. I, pg. 417, ceterum non magna

---

*) Döllinger, Juden- und Griechenthum, pg. 158.

famae celebritate florentia. Bellorum autem cum Atheniensibus saepius fit mentio, ut procul dubio recte se habeat lenissima Matthiae mutatio: Ἀθηναίοσι, quibuscum Eleusinii de oppidi eiusque sacrorum libertate pugnas committebant. Priscis temporibus hoc Eleusinium bellum gestum est fabulis et gloria insigne; testes sunt Thucyd. II, 15 (καί τινες καὶ ἐπολέμησάν ποτε αὐτῶν, ὥσπερ καὶ Ἐλευσίνιοι μετ' Εὐμόλπου πρὸς Ἐρεχθέα), Schol. Taur. ad Euripd. Phoen. 854, Eustathius, qui duas urbes, in Achillis scuti descriptione pugnam conserentes, Athenas esse et Eleusinem ad Iliad. XVIII, 509. pg. 1156 adnotat. Diuturnis dimicationibus, quarum memoria servabatur festo die, qui Βαλλητύς i. e. λιθοβολία vocabatur (Diod. V, 4), Eleusinii sibi clarissimum vindicaverunt cultum, atque impellentibus sacerdotibus, qui φιλοπόλεμοι appellabantur (Porph. apud Procl. ad Plat. Tim. pg. 51), ne urbs eum sibi eriperet caverunt. Ipse Eumolpus eiusque duo filii his in bellis dicuntur interfecti esse (Schol. ad Euripd. Phoen. v. 854), sed alii alia tradunt; Euripides, quidem, Apollodorus, Hyginus vocant Erechtheum Eumolpi victorem et interfectorem; Pausanias autem narrat I, 38 Erechtheum et Eumolpi filium cecidisse in pugna*), pacemque esse factam ea conditione, ut imperium esset penes Athenienses, Eumolpo autem et Celei filiabus (ἱερᾷ γερουσίᾳ) dearum sacra administranda et causae impietatis diiudicandae traderentur, cf. Dem. in Androt. pg. 601, Lys. in Andoc. pg. 204. Sed quod numquam Eumolpidarum responsiones commemorantur, Atheniensium populum ipsum diiudicasse causas verisimile est; constat, magnis Eleusiniis peractis, statim Athenis iudicium factum esse de criminibus inter festos dies admissis.

Belli aetatis rationes iam perspicias abditas esse fabulis. Atque saepius utrinque esse dimicatum inde licet coniicere, quod Solon Croeso interroganti respondet: Tellum, felicissimum omnium virum, in pugna contra Eleusinios commissa mortem occubuisse Herod. I, 30. Eleusis igitur non diu ante Solonem in Atheniensium ditionem videtur recepta esse, quum istam laudem non de fabulis, sed de proximis inde annis sumtam esse probabile sit; tum demum fortasse, bello composito, Athenienses parva Eleusinia sibi con-

---

*) idemque invenimus apud Schol. Vict. ad Iliad. XVIII, 490. Suppl. Heyn. T. VII, 802.

diderunt. Eodem modo deae cultum videntur recepisse, quo Bacchi Eleutherensis statuam, Eleutheris devictis, in urbe reposuerunt, quoniam Graeci sacra urbium, quas bello ceperant, ut Romani, adoptare solebant.

Sed quod nonnulli versus exciderunt, quibus dea Demophonti gloriam et honorem videtur promisisse, non certo dici potest, num poetae notus fuerit belli eventus; fortasse usque ad eius aetatem pugnae illae repetitae sunt. Ex solis, quos nunc legimus, versibus censendum est carmen esse compositum temporibus, quibus illi pugnare nondum desierant; dea enim omnes dies semperque fore pugnas vaticinatur, quod non ita evenit. Praeterea Atheniensium civitatis nulla est in hymno auctoritas, neque deditio Eleusinis oppidi vel in transitu commemoratur; neque Eumolpi genti datae sunt primae partes, quas et in cultu egit et in fabulis, praesertim belli Eleusinii. Hymnus igitur, quod neque Bacchum celebrat, neque Triptolemum, neque Eumolpum, neque Athenas, compositus est nondum penitus devicta Eleusiniorum urbe, cuius deditio non ita multo ante Solonem videtur facta esse.

HYMNI AETAS E SCRIPTORUM TESTIMONIIS QUAERITUR.

Primus testis collectionis cuiusdam sub Homeri nomine circumlatae est Thucydides III, 104: *δηλοῖ δὲ μάλιστα Ὅμηρος ὅτι τοιαῦτα ἦν ἐν τοῖς ἔπεσι τοῖς, δὲ ἅ ἔστιν ἐκ προοιμίου Ἀπόλλωνος.* Sequuntur vv. 165—72 hymni in Apollinem.*) Alexandrini autem, quos saepissime in Homero pertractando hymnorum corpore usos esse credibile est, aut collectionem eorum ignorarunt, aut hymnos non pro Homericis agnoverunt (cf. Wolfii Prolegg. 246. 266). Etenim tot in scholiis ad Iliadem et Odysseam numquam, ad alios scriptores his tantum locis ad hymnos relegamur: Schol. ad Aristoph. Aves 578 (657) *οἱ δὲ ἐν ἑτέροις φασὶ ποιήμασιν Ὁμήρου τοῦτο φέρεσθαι, εἰσὶ γὰρ καὶ ὕμνοι.* Schol. ad Pind. Pyth. III, 14. P. IV, 313, Schol. Nicand. Alex. 130 *ἐν τοῖς εἰς Ὅμηρον ἀναφερομένοις ὕμνοις.* — Locuples deinde testis adest Diodorus, qui tribus locis (I, 15. III, 65. IV, 2) scribit *Ὅμηρος* vel *ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς ὕμνοις.* Pausanias denique hymnos apertis commemorat verbis IX, 30, 6 *δευτερεῖα φέροιντο*

---

*) omnes in Apollinem hymnos appellatos esse prooemia, cognoscimus ex Stallbaumii ad Plat. Phaedr. pg. 60 adnotatione.

ἂν μετὰ Ὁμήρου γε τοὺς ὕμνους. — Hic ipse in Cererem hymnus nonnumquam a scriptoribus laudari videtur, ac primum quidem, si audacioris coniecturae hic locus est, a Sophocle, qui (Oedip. C. 683) novit, narcissum (hymni v. 8) antiquitus ad magnam deam pertinere, atque Antig. vv. 1120 sqq. fortasse adfabulam de Demophonte alludit. Callimachum autem hymno suo in Cererem non esse secutum Homerum, manifestum est, nonnumquam tamen videtur ipsa hymni significare verba, velut versu 12 *οὐ πίες οὔτ' ἄρ ἔδες τῆνον χρόνον οὐδὲ λοέσσω* hymni vv. 49, 50; sed alia narrans vehementer discrepat ab hymni poeta e. g. v. 8 *ἕσπερος, ὅστε πιεῖν Δαμάτερα μῶνος ἔπεισεν.* Apollonius vero Rhodius num hymnum cognoverit, — ut Ruhnkenius in praef. edit. hymnorum pg. XI et ad v. 236 opinatus est, — in dubio relinquimus; multo locupletiorem possumus auctorem in medium vocare Apollodorum, qui in libris titulo Bibliotheces inscriptis nonnullas narrationes, quae sunt de Mercurio et Cerere in hymnis, paene ad verbum reddit. Compertas igitur habuit horum hymnorum fabulas et formam, ceteroquin nonnullis in rebus ab iis discedens; imprimis autem legit de Iambe narrationem, quam his temporibus nonnulli docti viri alteri assignant recensioni (Apollod. I, 5 et Schol. Nicaudr. Alxph. 130). Hymnis etiam eum usum esse in libro, quem scripsit de diis (*περὶ θεῶν*), contendit nuper Guttmannus*), causis parum firmis ad probandum nixus. Sequitur Philodemus, qui Ciceronis aetate in libro *περὶ εὐσεβείας* inscripto prodit haec (p. 40, 5 sq. ed. Gomperz.): *λέγουσιν δέ τινες . . . . καὶ τὴν Ἑκάτην ὀπαδὸν Ἀρτέμιδος εἶναι, Δήμητρος δὲ λάτριν Εὐριπίδης, Ὅμηρος δ' ἐν τοῖς ὕμνοις πρόπολον καὶ ὀπάονα κτλ.*· extrema haec verba proxime abesse a v. hymni in Cerer. 440: *ἐκ τοῦ οἱ πρόπολος καὶ ὀπάων ἔπλετ' ἄνασσα,* nemo non videt. Restat Pausanias, qui quater laudat (I, 38, 3. II, 14, 2. IV, 30, 3. IX, 31, 6) in Cererem hymnum, unde maxima de carminis integritate primis iam editoribus orta est suspicio, quod sunt dissonae lectiones, quas tamquam ex hymno Pausanias profert. Primum enim Paus. I, 38 alia tradit Celei filiarum nomina atque in hymno v. 108 reperiuntur; deinde Eumolpum appellat *ἀγήνορα,* qui in hymno vocatur *ἀμύμων* et *Εὐμόλπου βίη* vv. 154. 475; tum II, 74 scripsit *ὄργια πᾶσιν,* legimus

*) De hymn. Hom. historiae criticae ptt. IV. Gryphisw. 1869.

in hymno ὄργια καλά, IV, 30 laudat vv. 417. 18. 20, omittit igitur v. 419; denique I, 14, 2, quum Triptolemum narrat ab Atheniensibus appellari Celei filium, a Musaeo Oceani, ab Orpheo Dysaulis, a Choerilo Rari — hymnum non respicit, qui nihil prodit de Triptolemi patre, unicum autem Celei filium vocat Demophontem, Triptolemum et Celeum fingens aequales, cf. vv. 153. 165. Apollod. I, 5, 2.

Quas differentias pro certo habeo numquam posse ita explicari, ut omnibus satisfaciat explanatio. Pausanias aut memoriter videtur laudasse versus, aut textum secutus esse a nostro aliquantum dissonum; atque ceteris etiam in rebus ab eo non semper posse repeti certum testimonium, notum est. Scriptoris auctoritatem, si affert, nonnumquam deteriores promit, ut ita dicam, codices, e. g. *A* versu 256 utitur, qui deest in optimis scholiis codicibusque. Itaque diversitates non sunt tanti faciendae, ut propter eas statuamus, Pausaniam hymnum legisse ab Homeri, quem nunc habemus, diversum; concedimus tamen, hymni textum etiam post Pausaniam variis corruptelis inquinari potuisse. In Celei filiarum nominibus, ut exemplo utar, fortasse ne ipsae quidem fabulae ubique consentiebant; imprimis autem in iis carmini infigendis sacerdotum arbitrium plurimum valuisse, atque inde nominum fluctuationem ortam esse, mihi persuasissimum est. — Poeta igitur diu ante Pausaniae, Philodemi, Apollodori, fortasse etiam Sophoclis tempora hymnum composuit; itaque eius nomen indagare, nemo his temporibus in animum potest inducere, quod antiquissimorum poetarum nihil compertum habemus nisi nomina, quorum vim et proprietates non cognoscimus. Nam nihil habet quisquam, quod dicat de Olene Lycio, qui primus fertur Graecorum esse hymnologus (Paus. IX, 27 πρῶτος δ'ἀρχαίων ἐπέων τεκτήνατ' ἀοιδάν), atque plane ignotum est carmen, quod dicitur iam Erechtheo regnante de Cereris mythis compositum esse (Marm. Arund. I, 14). Pamphus qui sequitur paullo magis nobis cognitus, antiquissimus Atheniensium ὑμνοποιός (Paus. IX, 29), composuit in Cererem hymnum (Paus. I, 38, 39. IX, 31), ex quo haec perpauca comperta habemus: Celei filiarum tradidit nomina: Diogeneia, Pammerope, Baesara, quae postea ab Homero quoque esse nuncupata Pausanias affirmat. Cereris filiam raptam esse voluit (non violis sed) narcisso deceptam; maximam deam consedisse narrat, matronae specie indutam, apud puteum

Ἄνθιον, unde Celei filiae deam domum deduxerint, ubi Metanira filium educandum ei commiserit. — Quibus perpaucis ex rebus perspicimus, nomina a Pampho prolata aliquantum dissona fuisse ab hymni vocibus, sed narrationis, quantum videre possumus, decursus idem est atque apud Homerum: ut Prellerus censeat, Pamphi hymni alteram recensionem esse in Atticorum, alteram in Homeri collectionem receptam. Eandem rem uterque poeta videtur aliis verbis et arte paululum diversa tractasse; ipsius autem fabulae discrepantias, si intercessissent, haud dubito, Pausanias vel uno verbo monuisset. — Etiam Musaei, Pausaniae aetate, circumferebatur in Cererem hymnus, qui tum ei unus germanus tribuebatur I, 22: *καὶ ἔστιν οὐδὲν Μουσαίου βεβαίως, ὅτι μὴ μόνον ἐς Δημήτερα ὕμνος Λυκομήδει.* Quod carmen modo post Ol. 144 in suam formam redactum esse potest, quoniam ab hoc demum tempore Lycomides (daduchi) Eleusine faces gestarunt. Nihil quum in Eleusinis urbis descriptione ex eo proferat Pausanias, quamquam ex Pamphi et Homeri hymnis perpauca quidem tradidit, coniectura licet colligere: Musaeum, qui magnum habuit in sacris teletisque nomen celeberrimosque composuit *καθαρμούς*, in hymno narrasse infanda, quae non fas fuerit cuiquam nisi initiato tradere; atque verisimile est carmen eius, Orphicorum more compositum, nihil vere epicae artis vel narrationis habuisse.

Alii, qui secuti sunt, poetae aliter Cereris fabulam memoriae prodiderunt: velut Orpheus, qui vocatur poeta, Cererem fecit ad pastores venientem, quibus, quod locum monstrant, quo *Κόρη* devecta sit, primas dat fruges earumque culturam docet; excipiunt deam Disaules Bauboque eius uxor, quae hic partes egit Iambes.— Ceterarum vero ab aliis poetis fictarum de Cerere narrationum nihil superest nisi scriptorum nomina; laudantur lyricorum carminum scriptores: Archilochus (qui fortasse antiquissimum composuit, Schol. ad Arph. Aves 1762), Lasus Hermionaeus, Pindarus, Bacchylides, qui cecinit raptum esse in Creta factum; neque Panyasis et Pherecydes rem dicuntur non tetigisse. — Quae postea poetae antiquae immiscuerint fabulae, leviter tantum perstringo. Sophocles ex maxime cognata fabula Triptolemi, qui deorum erat minister (*διάκονος*), primam composuit tragoediam, cuius argumentum ignotum est. Euripides Helen. v. 1314 sq. finxit Minervam Dianamque comitatas esse Proserpinam, atque Gratias

Musasque, (non Iambeu vel Baubonem) placasse Cererem, quam in tristi saxo (ἀγελάστῳ πέτρᾳ), quod erat iuxta καλλίχορον φρέαρ, consedisse tradit Zenobius I, 7. Claudianus vero dixit: Iovem adfuisse raptui, Minervam Dianamque Plutonem retinere frustra co. natas esse. — At Ovidius, qui Fast. IV, 507 Celeum rusticum quendam esse voluit, et Virgilius plane immutant veterum fabulam, a qua hic longe discedit Georg. I, 39 versum edens:

nec repetita sequi curat Proserpina matrem

ad quem locum adnotat Servius excerptus a Lindenbrogio: „In infernum descendit Ceres, ut filiam reciperet, illa matrem sequi noluit.“ Tales mutationes, cum a posteris libere fictae ad quaestionem nihil valeant, praetermittimus. Neque pro explorato habemus, omnium horum carminum, quorum antiquissima deperdita esse scimus, num Homeri hymnus in Cererem primum fuerit aut maxima auctoritate excellens. Hoc unum constat, nulli eum posse attribui poeta cum aliqua veri similitudine.

Hymnos atticos — fortasse e singulis sacris — *) mature collectos esse, ex Athen. XIV, p. 653 B. Corp. inscr. I, 2, Nr. 385 comperimus. Corpus eorum, quod Büchelerus Apollodori mythographi aetate factum esse suspicatur, fortasse hunc quoque hymnum comprehendit; sed nullam habemus collectionis notitiam, neque scimus a quo, qua aetate, quo consilio condita sit. Fieri etiam potuit, quod Groddeckius coniecit, ut indoctus quidam compilator e pluribus hymnorum anthologiis novam hanc consarcina verit. Sed, in re tam ambigua silet iudicium. Attamen recte contendere mihi videor: longe diversam fuisse illam collectionem ab hoc, quem nunc habemus, Homeri hymnorum libro; immo hunc in Cererem hymnum solum esse ex ea servatum, siquidem ullus ex interitu ereptus est, velim tibi persuadeas.

Restat, ut uno verbo explicare coner, quomodo factum sit, ut hymnorum collectioni Homeri nomen praescriptum legatur. Qua in re minus probabilem sententiam professus est Ruhnkenius, qui nomen celeberrimum vult inditum esse a notis illis falsariis, qui, ut regibus Alexandriae et Pergami libros pluris venderent, operum titulos mutaverint, inclitum Homeri nomen ignobili substituentes. Quae opinio, invalida sane, labitur ex locis de hymnorum aetate

*) cf. Prelleri libri Demeter et Persephone pg. 76 atque Schierenbergium: Ueber die ursprüngl. gestalt der beiden ersten homer. hymnen. Lemgo 1828.

supra allatis. Multo magis nobis arridet Wolfii sententia: haec ipsa prooemia Homericorum, partim aliorum carminum declamationi praemissa esse, de quibus Homeri nomen traxerint. Quam sententiam magis ad minores hymnos pertinere puto quam ad maiores; ea carmina vere epica propter Homeri manifestissimam imitationem celeberrimo poetae adscripta esse multo verisimilius est. Uno denique inclusi sunt volumine hymni, qui diversas ob causas nacti erant Homeri perillustre nomen.

Quaestione de hymni aetate nunc ad finem perducta, ex rebus expositis haece consequi censeo: Thucydidi fortasse iam nota fuit Homeri hymnorum collectio; res in hymno commemoratae, vetustatis quasi robigine obductae, priscis debentur temporibus, Solonis aetate superioribus. Verba continent, quae ad hymnum videntur alludere: Sophocles, Callimachus, Apollodorus, Philodemus, Pausanias; hymni denique voces ab Homero alienae plurimae Pindari et Sophoclis aetate in usum veniunt. — Quae cum ita sint, persuasissimum mihi est, hymnum ante Solonis et Pindari aetatem esse compositum, primis fortasse poetarum temporibus, qui cyclici appellati Homeri vestigiis insistebant.

ADDITAMENTA CRITICA.

Quod prisca iam hymni forma suis numeris non absoluta erat, nonnulla inveniuntur confuse narrata et minus eleganter expressa, quaeque spuria videntur. Difficile tamen est singulis locis demonstrare, qui versus sint inserti. Tum maxime interpositiones inesse suspicamur, cum incidamus in locos obscuros aut incommode repetitos, aut in narrationem interruptam, Recte enim nobis videmur arbitrari, hymni poetam non summa arte, dilucide tamen et considerate carmen composuisse. Sed mirum sane est, quod Büchelerus vel id in animo habet, ut aetatem diiudicet interpositionum, quas vult non eiusdem esse farinae. Satis superque habere debuit, si quis pristinum illud, quod dixit, carmen fide accepit, quoniam hymni primam et genuinam formam vix possumus adumbrare coniectura nedum assequi; itaque interpolationum aetates statuere magnum est et paene incredibile inceptum. Vult, ut exemplis utar, v. 35, 36 ab antiquo poeta alienos, antiquitus tamen traditos, in collectionem Alexandrinam pervenisse, contra vv. 413 et 418, sensus locutionisve pravitate insignes, non multo ante decimum a Christo saeculum compositos esse a Byzantino quodam docto homine. At pauca tantum in hymno penitus aliena sunt ab Homero, atque ex sola dictione unius vel paucorum hymni versuum si iudices, nihil interest, saeculo quarto ante an post Christum natum tribuas interpolationem. Nonnulli quidem rationem sibi constituerunt in diiudicandis interpositionibus, simplicem sane, sed non ita probabilem; quo enim melius eae se accomodant ad poetae dicendi genus, quo elegantius sunt commissurae perpolitae, quo minus carminis vel narrationis decursus interrumpitur, eo antiquior habetur interpositio, quo ineptior et inscitior, eo recentior. Tali autem ratione, quamquam inest aliquid veritatis, non posse interpolationum aetatem indagari, mihi persuasissimum est; nam antiquis etiam temporibus fieri potuisse, ut imperitus vir, recentioribus, ut doctus

et scitus homo interpositionis periculum faceret, quis est, qui neget? Quaqua aetate fuerunt, qui male scriptoribus ingenii sui specimina adiecerint. Ceterum, quum ipse Homerus nonnumquam dormitaverit, age permittamus poetae, ut nonnumquam desciscat ab Homeri imitatione plerumque felici. Qua in re severe egit Prellerus, qui multos eiecit versus, quos difficiles explicatu sine detrimento omitti posse arbitratus est; sed parum habuit rationem indolis epicae poeseos, quae copiose subinde repetat res maioris momenti, atque ambagibus nonnumquam usa habeat versus minime necessarios, narrationem tamen locupletem reddentes. Sunt sane in hymno, quae non perpolitis versibus narrentur, sed, quod pertinent ad Eleusiniorum consuetudines, non possum adduci ut credam, poetam ea in pristina carminis forma praetermisisse, e. g. narrationem de Iambes facetiis, quae propter ipsam obscoenitatem maxime placuerunt vulgo, velut Syracusano Diod. V, 4. — Potest igitur in hymno diiudicari maior aut minor interpolationum sollertia, at aetatis rationes omnino iacent, nisi velis hariolando comminisci acutius quam verius excogitata.

Sunt in hymno, quae temere repetantur, quae sibi repugnent, lacunae quaedam, interpositi corruptique loci.

Legitime epicorum more nonnulli versus et formulae repetuntur, ut poeta eandem rem iisdem paene semper narret verbis; e. g. dicit Metanira de filio educando, quae iam locuta est filia, Ceres eadem iisdem verbis filiae ac postea Iupiter promittit; toti versus sunt simillimi vv. 6—8: vv. 426 sq., v. 20: v. 432, v. 449: 341, vv. 462—64: vv. 445—47, vv. 166—168: 221—23, v. 61: 48; semiversus quoque saepe iterum leguntur velut v. 235: 300. Quae iterationes, quamquam non abhorrent ab epicorum more, tamen, ubi saepius inveniuntur, non omnes a poeta ipso esse profectae videntur; facillime potuerunt a quovis, qui carmen tractabat, versus vel formulae otiose iterari, ut saepe de genuina carminis forma fiat dubitatio; neque desunt hae suspectae redintegrationes; saepe coniunguntur, ut exemplo utar, *ἀθάνατοι θεοί* cum mortalibus (*θνητοῖς ἀνθρώποις*) vv. 11. 22. 45. 73. 404., sed causa cur ambo commemorentur non semper in aperto est, ut v. 11 *ἀθανάτοις τε θεοῖς ἠδὲ θνητοῖς ἀνθρώποις* totus abundat. Sed epicos poetas minime evitasse repetitiones quod constat, vix fieri potest, ut aliquis in hymno diiudicet, quae spurie, quae legitime iterentur. — Multo maioris

momenti est, quod nonnulla diverso modo narrantur inter se pugnantia; Celei filiarum maxime laudatur v. 110 *Καλλιθόη*: *προγενεστάτη*, sed v. 146 sq. *Καλλιδίκη*, quamquam modo *εἶδος ἀρίστη* est, agit cum Cerere. Nullo verbo poeta explicat, quapropter hanc vel illam laudet, vel quam ob causam Ceres nullo eas beneficio, velut sacerdotali munere, afficiat, ex fabula sane dignas, quae deae benevolentiam consectentur. Alia est discrepantia, quod versibus 153—155 sex laudantur reges, vv. 474 sq. autem quatuor tantum, omissis duobus, qui minus insignes (Polyxeinus et Dolichus) carent etiam vv. 154. 155. cognominibus adornantibus. Ceres, quae agri culturam et leges hominibus dedit, invenit urbem legibus constitutam, est iam *τιμάοχος* et Eleusis *θυόεσσα* v. 97, campi sunt culti. Hecaten (quae, nescio quam ob rem, in sole faces gestit) dea sequitur v. 58 negantem, se quidquam scire, quo fit ut temere videantur Solem adiisse; sed fortasse recte Hermannus coniecit, excidisse nonnullos versus, quibus Hecate Cererem hortata sit, ut consuleret Solem. — Promittit deinde Ceres (quae immortalibus quoque est *ὄναρ* v. 269), Proserpinae iam inde a v. 395, quae postea Iupiter quoque ultro spopondit; v. 273 Ceres Eleusiniis pollicetur sacram doctrinam, ut deae animum placent, sed, promissionis quasi oblita, tandem v. 475, multo temporis spatio interiecto, regibus eam tradit. Obscure etiam v. 413 Pluto narratur Proserpinam vi coegisse, ut gustaret malum punicum; quod vv. 371. 411 „clam“ id deae iniecit, neque ullo verbo vis illata commemoratur, Frankius vult clam Mercurio id factum esse, sed v. 411 longe abest Mercurii nomen, neque, si locum intuemur, potest esse dubitatio, quin Proserpina de se sola verba faciat; hoc ipso *λάθρῃ* excusat, quod gustaverit de Orci cibo. Atque, quum malum punicum sit matrimonii signum, Pluto tardissime cogit Proserpinam ad coniugium legitimum.

Minime etiam convenit v. 20 *ἦγ᾽ ὀλοφυρομένην· ἰάχησε δ᾽ ἄρ᾽ ὄρθια φωνῇ*, cum versu 37 *ἐλπὶς ἔθελγε μέγαν νόον ἀχνυμένης περ·* apparet enim, neque vocem *ὀλοφυρομένην* congruere cum versus 37 narratione, neque recto puellae lugenti trementique magnum animum (*μέγαν νόον*) tribui; miramur quoque, quod sublatam immortalem vocem sodales, cum Proserpina eodem in prato ludis occupatae, non percipiunt, sed, nescio quo pacto vel loco, sola Hecate. Quam ob rem Plutonem credas non devectum

esse loco, quo evaserit? Qua de causa per tanta spatia rapuit deam?

Inepta quoque in hac narratione reperitur coniunctio v. 33 ὄφρα οὐρανὸν ἀστερόεντα λεῦσσε θεά... αὐγάς τ' ἠελίου· Quoniam sol atque astra non potuerunt simul conspici, libentius acciperem illud usitatissimum εὐρὺν ὕπερθε, quod hoc loco olim esse positum (ut in fine v. 13) coniicio. Vox enim ἀστερόεντα hoc loco valde suspecta est, quia sensum praebet ineptum et proxime accedit ad versus sequentis exitum ἰχθυόεντα, cuius ad exemplar librariorum errore coeli quoque cognomen in όεις videtur suppositum esse; praebent versus, ut nunc leguntur, concentum deformiter sonantem.

Lacunae sunt, sive quod in codice singulae literae vel ipsius folii partes deletae sunt, sive quod carmen non integrum notum erat viro, qui codicem scripsit. Sunt lacunae post v. 37. 58. 268. 387. 403; nonnumquam quae sint elapsa in aperto est, velut post v. 37 Hecate hortata est Cererem, ut secum Solem adiret. Textus lacunae vel loci, quibus hiulcat narratio, sunt post v. 413, ubi gustati mali punici narrationem statim sequitur raptus fabula. Dura etiam est v. 415 cum v. 416 coniunctio, ut suspicari liceat nonnulla intercidisse.

Minus aperta est post v. 362 lacuna; possunt hic nonnulla esse deperdita, possunt res minus apte narrari; neque aliter se habent vv. 436—40. Hiulcat etiam Plutonis oratio vv. 360—70, quod carptim modo proferuntur sententiae. Atque in ipso versus circuitu partes sunt inter se conglutinatae, ut omissis nonnullis necessariis praecipitetur narratio, velut v. 58.

Praeterea sunt in hymno multi suspecti vel corrupti loci quos singulos quidem, in quibus a codicis scriptura vel a doctis viris discedo, ostendebo, sed cuiusque loci conditiones explicare longum est. Quod ex libello, si fusius exponerem, fieret liber, satis habeo breviter enumerare ac tantummodo perstringere, quae mihi displiceant.

Abundat v. 11, totus explicat vocem πᾶσιν· molestior est v. 12, qui primum habet aliquid offensionis in initio male cadente et in crebris praepositionibus; deinde singularis hic invenitur forma κάρα pro vulgata καρήατα, τοῦ denique quatuor versibus seiunctum est a narcissi voce, ad quam referri debet. Secludo igitur vv. 11 et 12, quibus omissis melius procedit

oratio: narcissi speciei descriptionem excipit odoris significatio; nihil desideratur. — v. 15 formam ἀμφοῖν antepono lectioni ἄμφω, cuius rei exempla sunt tantum apud recentioris aetatis scriptores e. g. apud Theocrit. XVII, 26. — v. 42 mihi dissonus videtur a sequenti versu, ubi narratur maxima celeritate Cererem abiisse, ut inveniret filiam; quum nesciat se eam sero demum esse inventuram, mirum est, quod vestem, quamquam maxime festinans, induit caeruleam. Versum interposuit sane poeta, qui putabat se magis ad vitae speciem dolores descripturum esse, si Cererem finxerit statim sumentem habitum lugubrem, quem mutuatus est a v. 183, ubi dea veste utitur caerulea, — sed interea multi fuerunt dies et dolores. — Incommode adpositus est v. 46, qui et supervacaneus est et ineptus, quod Iupiter vv. 3 et 4 aperte curat, ne Ceres certior fiat de Proserpinae raptu; nullum nimirum potuit mittere praepetem vel oscinem. — v. 64 placet, quamquam aliquantum recedit a codicis scriptura, Peerlkampi coniectura: θεὰν θεός. v. 69 pro ἀλλὰ σὺ γὰρ δή rectius scribi videtur ἀλλὰ σύ, ὅς δή, quo melius cadat oratio, quod vocabula ἀλλὰ σύ apte antecedentibus opponuntur, atque tollitur γάρ, quod hoc loco plane displicet. v. 82 exitum, neque non v. 83 initium, cum Schneidewino (Philol. III, p. 662) eiiciendos esse puto (item v. 236). v. 85 nego vocem ἀμφί idem significare, quod „praeterea" aut „separatim," ut Vossius et Hermannus explicaverunt. Schneidewini igitur mutatione ἀμφὶ δὲ τιμῇ neglecta, interpretor codicis ἀμφὶ vocabulis „valde prorsus, vollständig, ohne fehl"; quae vis in verbis compositis saepe inest voci ἀμφί, velut in his: ἀμφι — γηθέω, — λείπω, — μέλει — βόητος — λαλος — τριβής — θαλής (e. g. ἀλήθεια Plat. Axioch. p. 370 D). Hoc versu eodem modo ἀμφί adverbii loco usurpatur ut H. in Merc. v. 172. — v. 87 nihil novi adiicit idemque paene exprimit ac v. 86; moleste praeterea repetitur verbum ἔλλαχε, minime denique adiuvat ad Cereris dolorem tollendum, si Sol verba facit de loco, ubi Pluto habitet; maximi momenti hoc unum est, quod Sol monet Cererem: filiae maritum, Iovis fratrem, omnium rerum trientem esse sortitum, neque quoquam minores habere honores et auctoritatem. Itaque versum 87 spurium esse iudico. — v. 90 deleto nihil deperditur; vocem τήν, si versum retineas, in τῇ commuto. — v. 99 facile evitamus in voce φρέατι caesurae vi pro-

ductum ι, si Porsonum Adv. pg 275 et Cobetum Mnemosyn. t. X. sequimur, locum sic emendantes: Φρείατι παρθενίῳ, sed insolito modo omittitur praepositio ἐπί. — V. 100 facile possumus carere, nihil enim ad rem, quod supra puteum olivae ramus provenit; magnum etiam et incommodum spatium, si versum retinemus, interest inter verba, quae debent arcte coniungi ἕζετο — ἐναλίγκιος. V. 110 interpositum esse censeo; aperte, qui inseruit, imitatus est Hesiodi Theog. v. 79; Callithoes, quae προγενεστάτη praedicatur, postea nulla fit mentio; atque tres tantum Celei filias fuisse in pristina carminis forma, recte concludere mihi videor, quod v. 288 sq. tres modo matri succurunt filiae: ἡ μὲν — ἡ δ' — ἡ δ' · — quod idem vidit Frankius.

Languet v. 111; praebet etiam ἔγνων, quae forma aliena est ab Homero; ortus esse mihi videtur, quod quis adscripsit οὐδ' ἔγνωσαν, quod postea expletum est ad iustum versum; quem si aeque ac v. 110 eiicimus, aptus fit narrationis decursus. — In versu 122 iudicando sto a Fonteii et Cobeti partibus, qui perversum μέν eiiciunt, quod ei nulla respondet particula, scribunt pro Δώς : Δηώ. — Prellerus, versuum 202—4 et totius loci inde a v. 191 difficultatibus permotus, seclusit versus 190 — 211, quod audacius egit doctissimus vir; versus enim esse a pristino carmina alienos contendit, quod exponerent sacras Eleusiniorum consuetudines et interrumperent narrationem. Poetae autem propositum esse, ut explicaret sacrorum morum origines, me iam ostendisse puto; neque cursus narrationis intercipitur, certo enim ordine traduntur, quae primum fiunt Metanirae domi post Cereris adventum; sed quod plurimae sunt difficultates inde a v. 202 ad v. 195 exemplar conformato, dubitatio mihi est de vv. 202—11. Versum 205 iam Heynius, totos versus 202—5 Matthias et Hermannus segregarunt; sed ita sententiae oriri hiatum Frankius et Baumeisterus monuerunt. Equidem coniectura colligo, in genuino carmine fuisse narratas Iambes facetias et mixturam, quod γελασμοί et κυκεών in sacris Eleusiniis gratissimi erant apud omnes. Carminis Eleusinia celebrantis erat sacrarum consuetudinum origines exponere; sed elegantior erat narratio, quam qualis nunc interposita est. Versus igitur 202—11 alienos esse a poeta, qui cetera composuit, censeo, imprimis quod v. 212 verbum χαῖρε, quod hic nostratium est „willkommen", locum suum non habet, postquam

multa iam verba facta sunt ab Iambe et Cerere vv. 203. 207. — v. 240 vocis λάθρα (pro Ionum λάθρη) alterum α male correptum est; Spitzneri coniecturam ἑῶν pro φίλων minus aegre fero quam metrum depravatum. — Versus 251 voce τῇ in τόν commutata versum 252 eiicio, quod plane abundat et odiosus est; quid enim attinet ad Cereris iram: (filius, quem Metanira) ἄελπτον ἐνὶ μεγάροισιν ἔτικτε· bis iam dictum est vv. 165, 219, ex quibus hic iteratur, praeterea vocem τῇ moleste subsequitur τήν. — v. 328 incommode et sine causa bis legitur verbum ἑλέσθαι, cuius in locum probabili coniectura restituitur: θεοῖσι. Versibus 344. 345. 361 aeque possumus carere ac vss. 362—70; hi quidem respondent Mercurii decem versibus, sed miramur, quod post longissimum tempus Pluto uxorem placat eique suam praestantiam exponit datque iam effectas promissiones; ceterum orationis initium a versu 362 legimus iam v. 83 sq. — Quod Cereris quaestioni v. 404 Proserpina tandem a versu 414 respondet, quodque narratio, ut nunc legitur, penitus confusa est, pro certo habeo, in prisco carmine versum 406 exceptum esse a vv. 414—432, quibus Cereris quaestio v. 404 absolvatur, deinde nonnulla excidisse, denique vv. 407 - 413, 432 secutos esse.

V. 424 mihi etiam Minervae et Dianae nomina suspecta sunt, ex recentioribus fabulis fortasse repetita; sed hoc versu duo nomina debent ceteris adiici, ut iustus fiat numerus (24) et frequens chorus, qui possit ludicris delectari, ludorum et saltationum consuetis utens regulis. — Extingui possunt tres de Hecate versus 438—40 atque vv. 477. 78, qui narrationis cursum interpellant. — V. 428 ineptae comparationis ὥσπερ κρόκον perdifficilis est probabilis emendatio. Versus 8—12 respiciens verba legenda esse censeo:

νάρκισσόν θ', οὗ φῦσ' ἑκατὸν κάρα εὐρεῖα χθών

quibus verbis apte describitur pratorum floribus amoenissima exornatio. Verba, quae inserui, leguntur vv. 8 et 12 in ipsius narcissi descriptione. Quod vero prior versus pars productis syllabis impedita constituitur, hoc in hymno nihil habet offensionis, nam quinquaginta huius hymni versus eodem utuntur exordio, velut vv. 88. 102. 198. 262. 319. 493. — Exitum hymni inde a v. 490 censeo valde esse corruptum; Hermannus eum reiicit spurium. Primum offendamus necesse est in versibus 491 et 493. Quoniam carmen ad Eleusinia celebranda compo-

situm est, suspicio movetur, quod Paros et Antron (haec quidem vix nota) Cereris sedes commemorantur, nam causa cur fiat nulla est. V. 193 Proserpina invocatur frugum vel agri dea, quamquam illas partes nullus alius ei dat carminis locus; praeterea, propter ultimi versus vocabulum *σεῖο*, una tantum dea antea potest invocari. Mirum in modum numeri sunt positi *ἔχουσαι* — *ἄνασσα* — *πρόφρονες* — *ὄπαζε*. Seclusis igitur versibus 491 et 493 omnia ad unam referamus deam Cererem, cuius in honorem hymnus compositus est, ut hic sit exitus:

Ἀλλ' ἄγ' Ἐλευσῖνος θυοέσσης δῆμον ἔχουσα,
πότνια, ἀγλαόδωρ', ὡρηφόρε, Δηοῖ ἄνασσα,
πρόφρων ἀντ' ᾠδῆς βίοτον θυμήρε' ὄπαζε.
αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς.

His omnibus prolatis restant etiam multi loci, qui, si in libris non legerentur, omnino non desiderarentur, quippe quum nihil, quod ad sententiarum connexum necessarium sit, contineant, velut vv. 21—38. 72. 73. 265—67. 344. 45. 448. 481. 82. 88. 89. At epicis poetis concedendae sunt ambages et verborum copia, ut grata fiat et locuples narratio. Caveamus igitur, ne nimis poetam cogamus in artum; maluit enim hilariter et molliter quam presse et sententiose verba facere; itaque non magnae contentionis vel laudis est ei aliquot versus eripere.

VITA.

Natus sum Guilelmus Oscar Gutsche Numburgi Saxonum a. d. XVI. Cal. Mart. a. h. s. XLVII, patre Guilelmo, matre Maria e gente Pabst, quos parentes adhuc vivos grato pioque animo veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Puerulus Halas advectus inde ab anno h. s. LII novem per annos in orphaneotrophei discendi ludis imbutus sum literarum elementis. Schola deinde relicta undecim per semestria medicamentarii munere functus sum. Regressus ad humanitatis studia examen maturitatis extraneus in schola latina, quae Halis floret auspiciis viri ill. Adleri, a. h. s. LXVIII absolvi. Tum Halensis universitatis civis factus in literas graecas latinas theotiscas percipiendas me contuli. Seminariorum philologici et paedagogici per duos annos fui sodalis, amborumque senioris, quem vocant, munus tempore procedente mihi mandatum est. Audivi per septem semestria disserentes viros ill. Bernhardy, Bergk, Keil, Kramer, Erdmann, Duemmler, Zacher Heyne, Haym, Schoene, quibus viris optime de me meritis gratias ago quas debeo maximas.

THESES.

I.

Peerlkampi reiicio coniecturam VIDI in Virg. Aen. XI, 160:
Contra ego vivendo VICI mea fata superstes.

II.

Vox ἀμφί H. h. in Merc. v. 172 et h. in Cerer. v. 85 „prorsus, perfecte" interpretanda est: ut Schneidewini in utroque loco suspicionibus non indigeamus.

III.

Sophocl. Philoct. vv. 846, 47 legendos esse censeo

πάντως τῶν ἐν νόσῳ εὐδρακὴς
ὕπνος ἄυπνος λεύσσειν.

IV.

Probabiliter Cobetus Thucydidis locum in l. I c. 25 *τιμωρίαν ποιεῖσθαι* emendat: *τιμωρίαν πορίζεσθαι.*

V.

Nullum nothorum genus Athenis civium iura habuit.

VI.

Falso negavit Hudtwalkerus Athenis mense Scirrophorione iudicia facta esse.

VII.

Patricii Romani non habuerunt sui ordinis conciones.

VIII.

Antiquissimis Romae temporibus clientes et plebeii non eiusdem fuerunt iuris.
